DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

NATURA VITÆ ET SANITATIS FORMATRICE,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXXI. D. JANUAR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

CAROL. CHRISTIAN. SEIDEL,

BEUTHENA-SILESIUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO IOANNI CAROLO,

SAC. ROM. IMP.

COMITI A SCHOENAICH,

LIBERO BARONI BEUTHENIENSIS TERRITORII,

LIBERÆ DYNASTIÆ, QVÆ EST IN SILESIA CAROLATHI ET BEUTHENÆ AD VIADRUM, AMBTITII, STARGARDIÆ, DOBERÆ, MELLENDORFFII, SCHLAUPITII, BEITSCHII, TARNOVIÆ, PADLIGARIÆ, OSTRITII ET GERSDORFFII HÆREDI.



PROOEMIUM.



Uando Naturæ ſcrutatores ac obſervatores *Galenus* indicare & commendare laborat, tunc in *Lib. natural. facult. cap. 13.* ita eloquitur: *Hippocrates omnium medicorum & philoſophorum primus, ut qui primus naturæ opera novit, hanc ſemper tum admiratur, tum prædicat; quam & juſtam nominat & ſolam animalibus ad omnia ſufficere dicit, ipſamque per ſe ſine doctore, quæ opus ſunt, agere:* nec tamen hic adeo honorifice de Natura ſentit, ſed plurimi Phyſicorum ac Medicorum hanc naturam, utpote ſingularem & celebrem cauſam motuum & mutationum agnoſcunt, quamvis multi quoad acceptionem vocis diſcrepent; ita ut Hippocrates variantes illius ſignificatus, ſub diſcrepantibus etiam prædicatis proferat, interim naturam corporis, videlicet humani & naturam corpoream provide ac judicioſe diſcernat: ſic porro *Sturmius*

mius in diss. de Naturæ agentis idolo cap.1.§.1--5. ex *Aristotele* sex significationes Naturæ allegat: *vid. Aristot. Metaphys. Lib. V. c. 4. Picolomius Lib. II. p. 249. Pererius Lib. 7. Phys. c. 1. Fonseca Lib. V. metaphys. c. 4. qv. 1. l. 2. Bravo Consult. Med. VII. §. 9. Smetius Miscell. Lib. 7. ep. 1. §. 326.* attamen quilibet docti selectum peculiarem in differenti tali Sensu instituunt, unumque præ altero digniorem ac veriorem æstimant, adeo, ut interdum Naturæ notio proprio, aliquando improprio significatu prædicetur: & hæc diversitas quoad acceptiones vocum hodiernis adhuc ævis continuat, ut eapropter quidam neotericorum ultra crepidam sapere videantur, qui de priscis Philosophis & Medicis frivole judicant, quasi in vera naturæ interpretatione & agnitione ignari & stupidi fuerint; quamvis hodienum adhuc circa hanc disquisitionem manifestæ vigeant confusiones, contradictiones & oblocutionrs: ob id aliquibus consultius visum est, quo notionem Naturæ, quam modo barbaram, mox metaphysicam, nunc æquivocam, alibi sonoram omnique reali conceptu ac respectu destitutam, aliquando confusionum matrem, asylum ignorantiæ &c. &c. nuncupant, abrogent & ut sibi persuadent ac opinantur magis reales, distinctos, perspicuos & applicabiles respectus atque conceptus de causis motuum proponere nitantur, sed dum suis promissionibus aliorumque expectationibus satisfacere contendunt, trabem in propriis oculis haud advertunt, ac præter nuda afferta vel nullas, vel levissimi ponderis rationes & demonstrationes proferunt, adeo, ut æqui arbitri de antiquorum & neotericorum

placi-

placitis,quoad hoc ſubjectum judicantes, facile plus ſalis in illis, furfures vero ac fungos multos phantaſiæ in hiſce inveniant: Laudantur & commendantur rerum, cauſarum, virium, relationum, mutationum & effectuum naturalium indagationes; quid vero natura, præcipue particularis, ſit, aut condigne minus inquiritur, aut quoad explicationem negligitur, ambigitur & confunditur: Et quid mirum eſſe poteſt, cur in principali hac cauſa tantæ fluctuent controverſiæ! ſiquidem reliquarum conſiderationum naturalium æquales circumſonant fluctuationes, hæſitationes, ac opinionum variationes: & tales cohortes diſſentientium opinionum phyſicarum minime quenquam deterrere debent, ut veram, certam ac indubiam naturæ ſcrutationem, acceptionem & interpretationem deſerat vilique pendat: Gloriantur quidem eximia oſtentatione hodiernis ævis multi phyſici, quod circa hanc *Naturæ* indagationem multis paraſangis veterum, ut judicant commenta, inſomnia, ſuperſtitiones, aſyla, figmenta, traditiones, fabulas, verba, ac opinionum monſtra, ſuperent, effectus vero, qui naturæ adſcribi ſolent, magis ſolida ac perſpicua ratione ex legibus motuum, viribus materiarum, relationibus corporum & actione ac reactione corporearum ſubſtantiarum demonſtrent, ita, ut præter principaliſſima illa ſubjecta phyſica, Motum videlicet & Materiam, nullum aliud diſtinctum, aut ſeparatum ſubjectum pro Natura agnoſci & explicari debeat, nullo habito reſpectu ad confuſionem, quæ cum cauſa efficiente, inſtrumentali, remota, impel-

lente & effectu committitur; ut propterea juxta hodiernum stylum natura in diversa modificatione motus in materia & per hanc consistat; proinde etiam judiciosa causæ principalioris, efficientis videlicet, indagatio & æstimatio vilipendatur, congruum motuum directorium negligentius inquiratur, ac vera finium & respectuum finalium explicatio aut obliteretur, aut tumultuarie tractetur, insuper rationalis subsumendi, connectendi & concludendi ordo, crasse violetur & nude verbosa ac imaginaria inventione ac declamatione monstrum aut chimæra pro natura & fungus pro cerebro pro- & exponatur: Utut vero decies ac toties ex aliis consideratu dignis rationibus, phænomenis & effectibus verus naturæ sensus commendatur, multi tamen moroso vulto & austero ac invidioso animo illum prosequuntur, ut huc quadret illud *Horatii ep.10. v. 24. Naturam*, videlicet talium adversariorum, *expellas furca, tamen usque recurret*, i. e. livor, rancor & odium contra naturæ benignæ ac providæ opera semper innovatur & continuatur: quando itaque rationalis, provida, ac judiciosa in quibusdam subjectis indicatur & demonstratur natura, multis hæc assertio bilem movet, ut mordaci oblocutione hanc naturam insultent, ac juxta *Tertullianum advers. Valentinianum c. 29. & Cassiodorum Lib. IV. ep. 38.* suæ *naturæ immutabilem ac irreformabilem* contineant *naturam*; quibus etiam secundum *Senecam Lib. 9. controv. difficile est suam naturam* ratione ac consilio destitutam, *effugere:* & dum prudentius, æquius & honestius videtur a rationali natura regi, quam a

poten-

potentiis, influxibus & impulſibus materiæ dirigi, ita nihilominus de multis prædicari debet *Senecæ* effatum *Ep. 119. Natura*, nimirum ita ſentientium, *contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit*, i. e. naturam corpoream poſthabitis ſingulis rationibus ſtatuunt, inque eo ſibi perplacent, quod ex corporum affectionibus tale dogma ſpecioſum adſtrui queat: Haud tamen quempiam hic ſentiendi & judicandi mos deterrere poteſt, dum in hoc mundo abſoluta conformitas & conſenſio animorum expectari haud debet, ſed quot ſunt capita, tot etiam ſenſus manebunt: illud interim cujuslibet officium eſt, ut ſententiam aliquam, aut judicium quoddam perſpicue referat, ſolide demonſtret ac confirmet & ad congruos uſus applicet: Haud quidem nobis hac declaratione ſermo eſt, de Natura univerſali, quæ meditatio nimis ampla & diffuſa eſſet, ſed potius pro noſtro ſcopo de *Natura humana* diſquiſitionem aliqualem inſtituemus: hæc enim illud pomum Eridos eſt, quod in foro Medico varios diſſenſus generat: & quid magis ridiculum & a ſana ratione alienum eſſet, quam ſi ob talem diſſenſum odia, invidiæ, cavillationes, lites & inimicitiæ irreperent; cuilibet enim dictum & liberum eſt, *πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.* 1. Theſſ. V. v. 20. & *εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα*, Philipp. I. v. 10. *unus quisque itaque in proprio ſenſu plene perſuaſus ſit: Rom. XIV. 5.* nemini enim ſententia quædam ſive vera, ſive erronea ſit, obtrudi debet. In hac ſpinoſa ac intricata diſquiſitione nos impræſentiarum tentamen facere & Specimen Inaugurale de NATURA VI-

TÆ

TÆ ET SANITATIS FORMATRICE edere placet, ut Senſus hujus cauſæ magis diſerte, perſpicue ac ſolide inclareſcat: Huic conatui ut DEUS T. O. M. qui ipſe eſt veritas, ex almo benedicat, eumque ad exoptatum uſum dirigat & promoveat, eſt quod in primo hoc acceſſu devotiſſimis precibus contendimus.

§. I.

DIſcurſum de *natura humana* nobis inſtituentibus, in primo limine in mentem incidit *Galeni* effatum de *Uſu Partium Lib. 9. c. 16. quod millies*, ipſe ait, *jam monſtravimus, id nunc quoque oſtendemus; nihil a natura fuiſſe prætermiſſum:* enim vero multis occaſionibus *opera* & *effectus Naturæ*, quos *conſueto* ordine, juxta *divinam* inſtitutionem adminiſtrat, commemorata & commendata ſunt, inde etiam *facili* ſtudio, niſi *præjudiciis* plus favere placeat, *concludere* quisquam poteſt, *quænam* natura ſit & *qualis* cauſa *hoc* nomine *digna* exiſtat, ne *perverſis* opinionibus quaquaverſum trahamur, neve *juſtos* cauſarum *ordines* frivole, ludicre & ſciole turbemus, ac cauſas *inſtrumentales*, mediatas, *efficientes*, *formales*, eſſentiales, *accidentales*, *materiales*, finales &c. perperam confundamus; neve *qualitates* & relationes, aut ut interdum nuncupari ſolent, *vires materiarum*, ut & *motus* in & cum *materiis* decurrentes, ridicule commiſceantur, indeque *monſtroſa* & androgyna natura fingatur: quam ob rem in hac diſquiſitione prudens & rationalis reſpectuum *diſtinctio* commendari meretur, ne ſub *confuſa* illorum æſtimatio-

matione, in uno phænomeno nunc *irrationalem* & materialem, in alio vero, quando consuetæ cogitationes & opiniones nos deserunt, *alterius* essentiæ, indolis, potestatis & prosapiæ, *naturam* in *subsidium* ducamus: huc quadrat monitum & dicterium apostolicum *Ebr. XIII. 9. doctrinis variis & peregrinis ne circumferamini, bonum enim, gratia roborari cor. conf. Exc. Stablii Progr. de Constantia Medica:* quemadmodum itaque *constantia* in cognoscendo & judicando inter eruditos *virtus Heroica* est, ita circa *Sensum Naturæ* eximia inconstantia, animi levitas & vagabunda incertitudo passim observatur, ut *multiplex* & eminenter *contraria* Naturæ acceptio in foro *medico* passim etiam deprehendatur; nec tamen *perinde* est, pro *lubitu* hanc, aut aliam *Naturæ* acceptionem amplecti velle, sed interest præcipue in *principali* causa, unde demonstrationes & *deductiones* formantur, *certitudinem* possidere; frivola enim est provocatio & excusatio, quod nihil referat, si medici in rei *cognitione* discrepant & *dissentiunt*, modo in ejus *tractatione therapevtica conveniant:* quod posterius æque minus *congrue* contingere potest, ni talis ars Medica periculosam magis ac perniciosam *Empiriam* oleat: neque etiam præsens nostrum institutum est, *diversos* naturæ significatus enarrare & trutinare, quæ *diffusa*, ex parte etiam *odiosa* & otiosa esset occupatio; in eo vero allaboramus, ut pro *nostra* cognitione indicemus, quænam in *Medica* Scientia *Natura hominis* agnoscenda veniat: quodsi enim in *positione* & *demonstratione* aliquam naturam probaverimus, facile hæc assertio in *opposito*, aut antithesi agnosci ejusque *veritas*, firmitas & perspicuitas comprehendi poterit, modo non pertinacia, morositate & studio contradicendi quisquam

animum ſuum indurare & in Sole cæcutire geſtiat: Quemadmodum itaque veritatis cupidus animus non modo in cognitione *effectus* acquieſcit, ſed præcipue in *cauſam* ejus ſcrutatur; ita *judicioſi Medici* ſtudium eſt, non *fluctuantibus* opinionibus *aliqualem* Naturæ notitiam aſſequi, ſed ex *vero fundamento* illam agnoſcere, nec hanc cognitionem pro *fallaci* & erronea declarare, ſi captioſæ, inutiles & ludicræ quædam ſubtilitates in hac doctrina, non craſſis, *palpabilibus* & *in crudos ſenſus* incidentibus conceptibus propalari poſſunt, cum verum etiam exiſtat *Plinii* effatum *Lib. 17. cap. 16.* quod *non omnem experimentis aſſequi* queamus *naturam;* cum multi proceſſus, inventiones, fines, deſtinationes, directiones, operationes intrinſecam *ſubtilem* naturæ activitatem & *modificationem* comprobent, quam multi talibus prædicatis concelebrant, quæ *corpori* hujusque affectionibus tribui haud poſſunt, ſicut ſunt *Luſus* Naturæ, Natura *benigna*, *provida*, ſalutifera, *medicatrix* &c. ſiquidem in variis *ſonticis* operationibus, ſi ridiculæ fictiones, lepidæ tergiverſationes, aniles imaginationes, ſciolæ ſpeculationes, aut verboſæ narratiunculæ vitantur, natura longe *alia*, quam *corporea* agnoſci debet, quæ potius effectus tales, ferme mirabiles, *rationali* quodam directorio ac moderamine producit: quippe quæ generales conſiderationes facile comprobant, quam *neceſſaria* ac *fructuoſa* in foro *Medico judicioſa Naturæ* indagatio exiſtat.

§. II.

Quando *Naturam Vitæ* ac *Sanitatis formatricem* nuncupamus, tunc hanc aſſertionem cum illa connectimus, quam *Dn. D. Præſes de Natura Morborum medicatrice* publice

blice etiam commendavit & explicavit, proinde etiam asseveramus, quod *Vita* & *Sanitas* tanquam ordinaria *naturalis* qualitas ad *integritatem* corporis humanis usibus inservientis, spectans, *peculiarem* causam *efficientem* agnoscat, a qua utraque, *principali* respectu provenit & corpori communicatur: quemadmodum enim *corpus in se* spectatum, quomodocunque etiam formatum & eximiis ac egregiis qualitatibus *physico-mechanicis* praeditum, ex *fibris* & *vasis*, ex *fluidis* & *solidis*, ex *subtilioribus* & *crassioribus*, substantiis compositum sit, extreme corruptibile & a durabilitate, integritate, consistentia & constantia *alienissimum*, indeque *tali* qualitate instructum est, quæ vitæ & sanitati essentialiter *opposita* deprehenditur, hinc illa affectio, quæ vita & sanitas audit, corpori *non* propria, sed *adventitia* est, ob id ad justam & judiciosam cognitionem hominis pertinet & indagatio & demonstratio, quænam vitæ & sanitatis *genuina* & vera causa existat? Et si totus *processus* vitæ & sanitatis in perpetua *mutatione* consistit, ut videlicet constanter a corpore *removeatur*, quod hoc qualitercunque ad *destructionem* & corruptionem citius & efficacius promovere & disponere solet, eidemque reddatur & tribuatur, quod illius *integritati* confirmandæ & augendæ inservit, ita facilis erit decisio, quod Vita & Sanitas certis *motibus* impetretur, adeoque in œconomia motuum *congruorum* inquiri debeat: quoniam vero *hi motus* ex parte *medium* necessarium sunt, quo Vita ac Sanitas *formari*, ac *produci* debent, hinc utrique respectus non frivole & contra principia *logica* confundi debent; nam *causa sine qua*, est quidem *causati causa*, interim causatum hujusque causa æque minus *unum idemque* sunt, ac vita aut

ſanitas & *motus* ad utramque obtinendam neceſſarius, alias facile, ſed æque vitioſe concludere poſſumus, ſine fibrarum ita dicto elatere non datur motus cordis, ſine motu cordis non datur progreſſus ſanguinis, ſine hoc non datur ſe-& excretio, ſine hac non datur vita, ergo elater fibrarum, motus cordis, progreſſus ſanguinis, ſe-& excretio ſunt vita: eapropter *altioris* nunc indaginis eſt, conſideratio ejus cauſæ, *unde* motus *fibrarum conſtrictorius* & *relaxatorius* conveniens & ad hanc corporis *integritatem* conciliandam & producendam *idoneus* proveniat? ubi denuo illa indagatio occurrit, an *corpus ſibi ipſi* tales motus *generatim*, deinde in ejusmodi *congrua* proportione & *modificatione* largiri & ſuppeditare queat, *uti effectui reſpondent?* in hac enim conſideratione *principalis* disquiſitio Naturæ hæret, an videlicet Natura *nude corporea* ſit, i. e. in affectionibus *mere phyſicis* conſiſtat, in ſic dictis *viribus* rerum *corporearum*, in poteſtate & *relatione motuum* & *materiarum* reciproca, in *regimine* motuum *per* materias & *actione dirigente* motuum in materias, adeoque in *variante* modificatione *actionis* & *paſſionis*, niſus & reniſus, actionis & reactionis, quippe qui conceptus de Vita ejusque proxima & genuina cauſa hodiernis receptis theorematibus *phyſico-mechanicis* reſpondet: utut vero ſatis *ſpecioſa* hæc videtur ſententia, præcipue ſi ſimul provocatur ad *voluntatem* & *poteſtatem* Dei, quaſi *tali ordine* atque proceſſu vita *animalis* niti debeat, dum corpori illa *exquiſita* diſpoſitio *mechanica* concreata & communicata eſt, ut per haſce qualitates, in teſtimonium *divinæ Sapientiæ*, vita, corpori adeo neceſſaria, non aliunde, quam *ex ipſo corpore* derivari & explicari queat debeatque: quare cum *præ-*

cluſio-

clusione aliarum causarum *vita* & *sanitas corporis* affectio esse creditur: Interea liberum & concessum nobis etiam erit, ut de hac Vitæ & Sanitatis causa nostram mentem exponamus, fundamenta & *argumenta* nostræ sententiæ humaniter proponamus, ac *judicioso* & *æquo* arbitro *selectum* & *decisum* relinquamus, *nemini* vero nostram assertionem *obtrudamus*, de reliquo si *meliora* demonstrari poterunt, promptum & placidum nostrum *assensum* promittamus: Dum itaque de *Natura Vitæ & Sanitatis Formatrice* disquisitionem instituemus, illud proponere suscepimus, ut ita dictum *Principium vitale*, sive causam *efficientem* ac *principalem* proximam, immediatam & *ad naturalem* spectantem œconomiam, Vitæ & Sanitatis indicemus, demonstremus & confirmemus.

§. III.

Proximum nunc est, ut illam causam *efficientem* & *principalem* nominemus, a qua *motus* & *effectus*, ad *Vitam* & *Sanitatem* pertinentes, *proxime* proveniunt; hanc non aliam esse judicamus, quam ANIMAM hominis, a *digniori* operatione RATIONALEM dictam, quam eandem etiam, utpote principium *spirituale*, aut *incorporeum* agnoscimus: *huic* tribuimus facultatem administrandi & dirigendi *motus vitales*, videlicet *principalissimum* illorum, *Tonicum*, sive fibrarum motricium *constrictorium* & *relaxatorium*, ac *mediante* hoc *pulsum cordis*, *progressum sanguinis* & *respirationem*, deinde motus & functiones *animales*, velut *voluntarium* corporis motum, motum *sensationis*, tam cum *externis* sensoriis organis, quam propius ad *œconomiam* vitalem spectantem, quem propterea *vitalem* nuncupamus, *appetitum*, *vigilias*, *somnum*, ut &

operationes *naturales*, nimirum *concoctionem*, *se-& excretionem* ac *nutritionem*, hinc *singulorum* organorum, ad tales functiones *necessariorum*, actionem & applicationem *eidem Animæ* adscribimus, quæ *in hoc* officio ac Processu *Vitam* & *Sanitatem* producendi ac instituendi & continuandi *rationali* modificatione & ordinatione utitur, haud tamen *absolute*, aut ex *necessitate* & constanter *talibus* operationibus *mentalibus* utitur, velut *reflexiva* cognitione, aut *præfiguratione*, *arbitraria* aut voluntaria directione, *præscientia* & *repræsentativa* suarum functionum conscientia, &c. *quales* facultates ipsamet in operationibus *moralibus* ne quidem *promiscue* & pro lubitu *ubique* conjungere & exercere potest, sed certis *limitibus* atque terminis circumscripta est, ut *ultra* suam, a *DEO* adhuc *concessam*, sphæram progredi haud queat; quare in œconomia *vitali* administranda *tot* ac *tantis* eadem instructa est qualitatibus, quæ primario & *essentialiter* ad eandem pertinent, cum reliquæ functiones, utpote *superfluæ* ac *inutiles* æstimandæ & declarandæ sint, v.g. si anima de *internis* suis visceribus tales sibi *figurativos* ac mensurabiles conceptus formare posset, ac de objectis *extra* corpus suum, quod eadem inhabitat, positis & quædam organa Sensoria *crassius* afficientibus; aut si eadem musculosam *cordis* substantiam æquali *arbitraria* libertate *motibus* instruere posset, quibus *musculosas* ad *masticationem* & *deglutitionem* necessarias partes afficere valet, quales posteriores ipsamet *voluntario* quidem movere, sed *de iisdem* perinde *nullam præfigurationem* formare potest: quam ob rem non concludendum est, licet *anima* rationalis sit *cogitans*, *imaginans*, *volens*, *reminiscens*,

&c.

&c. quod in *omnibus* operationibus *fingulas* hafce facultates, pro *nutu* fuo, ratione *numeri*, *gradus*, *temporis* &c. fimul exercere queat: prout itaque in dignioribus & *principalioribus* actionibus perinde animæ vires funt *limitatæ*, *reftrictæ* & ad certum *ordinem* & *ftatum* generatim deftinatæ, ita frivolum & ridiculum effet in *ignobilioribus* & minus principalibus functionibus, quæ *corpus* humanum attinent & *vitales* audiunt, *morofo* animo urgere velle, quod quia anima imaginativa & arbitrii facultate prædita eft, eadem in *hifce* negotiis *neceffario hafce* qualitates conjungere & exercere debeat, quas tamen in moralibus *haudpromifcue*, aut ubique, conjungere & adminiftrare poteft: quid *communionis* intercedat inter *animæ patheticas* commotiones, aut *intenfiores* mores cum tota *œconomia vitali*, feorfim vero cum *cerebro*, *corde*, *ventriculo*, *inteftinis*, *renibus*, toto *genere nervofo*, fingulis *mufculis* &c. nulli *attento* medico incognitum effe poteft; fed quis non pariter advertit, quod illico anima neque hujus confenfus aut actionis *præfigurative* fibi *confcia* fit, neque motus tales *deliberato* ftudio, aut *voluntario* adminiftret, aut pro arbitrio exercere *definat*: interim *illos* actus *anima* perficit, (de quibus *animæ*, tam in *genere*, quam *propriæ fuæ*, adverfarii judicant, quod nil nifi *motus vitales turbare* queat) & tamen *neque volens*, neque *totius* hujus proceffus *fibi confcia* exiftit: exinde facile inclarefcit, quam *levis* atque *erronea* fit argumentatio, quod propterea etiam *anima Natura humana* effe nequeat, quoniam functiones *naturales* & *vitales* ipfa *infcia*, nec *volente* contingunt, quem *nervum* oblocutionis mox *brevi* annotatione infringere & refellere placuit, quia in eodem *pon-*

derofum

derosum argumentum & momentum contradicendi quidam ponunt, ſupponunt & inquirunt, quod tamen vera & *judicioſa* æſtimatione leve & vile exiſtit.

§. IV.

Hæc ſententia, quod *Anima Rationalis* Natura humana ſ. *Principium vitale* ſit, exacte cum *Sacro Codice* & revelatione divina congruit, quare tantum hoc loco urgemus *primam* creationem animæ, de qua *Geneſ. II. v. 7.* extat, quod Deus *in nares* corporis, e *pulvere terræ formati*, *inſpiraverit*, *animam vitarum* & quod *homo factus* ſit in *animam viventem:* hoc dicto indicatur & probatur, quod hac inſpiratione corpus *ſubſtantiam* quandam impetraverit, quæ antea in eodem *non* extitit; quod corpus, quoad ſuas *materiales* i. e. *phyſico-mechanicas* qualitates fuerit *perfectum;* quod hac inſpiratione *nihil materiale*, ſed *aliam peculiarem* ſubſtantiam obtinuerit; quod hæc ſubſtantia nominata ſit *Spiritus*, utpote cauſa *incorporea;* hæc dicitur *ſpiritus vitarum:* adeoque non unius, ſed *duplicatæ* vitæ; vitam vero, quam primus homo una cum hoc ſpiritu ſuſcepit, fuit cœleſtis ſ. *ſpiritualis* & deinde *naturalis*, illa comprehendit operationes animæ, *ſalutem æternam* ac beatitudinem concernentes; hæc vero complectitur commercium *animæ* cum ſuo *corpore* & ſub eodem partim *conſervationem* ac integritatem hujus corporis in ſuo naturali & *materiali* ſyſtemate & complemento, partim uſum hujus *viſibilis* mundi, *miniſtrante* hoc corpore; denique etiam notari debet, quod ab ipſo almo Creatore *prædicatum Vitæ* primo *Animæ* & *non* corpori datum ſit: huc quadrant verba *B. Speneri Conc. Funebr. Part. IX. conc. 1. p. 412.* Es hat GOtt dem Menschen geschaffen zum ewigen

Leben, Sap. III, 23. Dahin auch gehöret, daß ihm GOtt einen lebendigen Othem eingeblassen hat. Gen. III, 7. Damit bekam der Mensch nicht allein das natürliche Leben, sondern auch zum förderſten das geiſtliche Leben in den göttlichen Ebenbild ꝛc. *conf. B.* **Lütkemann Vorſchmack göttlicher Güte** *Part. II. c. 2. p. 270.* Zu erſt bereitet der Schöpfer den Leib, als einen ſchönen wohlgezierten Pallaſt, und ſtracks darauf führet er einen edlen Gaſt, die vernünfftige Seele hinein, den ſchönen Pallaſt zu bewohnen: & *p. 272.* GOtt bereitete einen Leib aus den Erden-Kloß, und bließ demſelben ein dem lebendigen Odem. Was iſts daß GOtt dem Menſchen den lebendigen Odem eingeblaſſen? haben dann die unvernünfftige Thiere auch keinen lebendigen Odem, oder lebendige Seele? freylich! was iſts dann ſonderbahres, daß der Menſch empfangen hat einen lebendigen Odem, einen Geiſt deß Lebens? ohne Zweifel wird dadurch mehr angedeutet, als das natürliche Leben: & *p. 273.* Die Seele iſt des Leibes Leben. *p. 276.* Man ſagt die Natur bearbeite den Leib in Mutterleib? iſt nicht übel geredet, dann da liegt in Mutterleib kein **lebloßer** Klumpe, wann ein Kind gezeuget wird, ſondern es iſt dabey ein **lebendiges** Weſen, eine menſchliche Seele, von welcher die Frucht in Mutterleib ihr Bewegnüß, Zunehmen und Wachsthum empfähet: conciliamus in hac meditatione *B. Buddeum in Inſtitut. Theolog. Dogmat. Lib. II. cap. 2. §. XVI. p. 371. ſeq. Ubi obſervandum vocem* נשמה *ſubinde de reſpiratione, halitu, flatu, adflatu uſurpari: ſæpius tamen cum de homine adhibetur, animam ejus rationalem denotat: conf. Prov. XX. 27. Certe hoc loco aliquid diſtinctum a corpore, ea voce ſignificari, res ipſa docet. Non enim ut de brutorum, ita & de hominis Creatione Moſes loquitur, ut animæ corporisque creationem conjungat; ſed primo de corporis, tum de animæ productione verba facit, ut ſignificet plane diverſum quid a*

Corpore esse animam. Præterea cum DEUS ipse hanc animam vitarum in nares hominis, inspirasse dicatur, non potest utique materiale quid intelligi: Cum enim Deus Spiritus sit, inspiratio quædam materialis de eo cogitari nequit: pergit porro *p.372. Quando autem DEUS homini inspirasse dicitur* נשמת חיים *animam vitarum, voce* חיים *in multitudinis numero posita, indicatur, non vegetativam tantum ac sensitivam vitam in homine esse, ut in brutis atque plantis, sed aliam adhuc, scilicet rationalem: Haud obscure ergo divinus scriptor docet, unam quidem in homine esse animam, sed eam diversis potentiis, s. facultatibus esse instructam:* porro ait: *Atque ita non tantum originem, sed naturam simul indolemque animæ Moses nos condocet: Intelligere namque ex ejus verbis licet, 1) non plures, sed unam animam habere hominem, quæ tamen potentiis seu facultatibus variis sit instructa 2) eam non ex essentia divina genitam, sed per inspirationem ex nihilo productam, 3) adeoque nec ex materia quadam creatam, hinc & materiæ expertem, simulque & immortalem esse.*

§. V.

Quamvis quidem *hujus* asserti *varia* testimonia, tam *ex S. S.* petita, quam ex *probatissimis Theologis* collecta *in disp. de Natura Morborum Medicatrice §. 4. & 5. D. D. Præses* protulerit, tamen præter illa adhuc hac occasione *multa alia* in medium proferre lubet: quam ob rem in continuatione hujus instituti *parallelum* quasi locum *Ezechielis XXXVII. 7-10.* commendamus: *Prophetavi itaque sicut præceptum erat mihi: factus autem est sonus dum prophetavi & ecce terræ motus: accesserunt ergo ossa, os ad os suum: vidique cum, ecce, super illis nervi & caro adscendit,*

dit, & obducta est, super illa cutis superius; Spiritus tamen non erat in illis: tum dixit ad me, propheta super spiritu; propheta fili hominis & dic ad ventum; sic dixit ADONAI JEHOVAH, a quatuor ventis veni spiritus, & inspira in occisos hos ut vivant: quum ergo prophetavi sicut præcepit mihi: venit in eos spiritus & revixerunt (NB. hic connectitur *Spiritus* & *vita naturalis*) *steteruntque super pedibus suis* &c. de hoc Spiritu ita commentatur *Tossanus in h. l. v. 5.* Athem. Den Geist, d. i. die Seele in einen jeglichen Leib. & *v. 9.* Der Geist, welcher das Leben ist der Menschen, so lange er in demselben ist, es wird das Wörtlein Wind für Geist genommen; nicht daß der Wind den Todt das Leben oder die Seele könnte geben oder einblassen; sondern daß es GOtt beliebe den Wind zugebrauchen, zu einen Vorboten seiner kräfftigen Würckung, wegen der Gleichheit, die etlicher massen sich befindet, zwischen den Würckungen GOttes und der Krafft des Windes, und zwischen den Blassen des Windes und den Athem, welchen die Seele in den lebendigen herfür bringet: *Calovius in Bibl. V. & N. T. illustratis in locum Gen. II. v. 7. p. 234.* ita disserit: *neque vero spiraculum vitæ est Spiritus S. uti vult Philastrius in Catal. hæret. c. 99. sed ipsa anima rationalis, quia in homine simul est vegetativa & sensitiva, ex qua oritur respiratio & exspiratio, unde ψυχὴ a ψυχάζω frigus capto,* נפש *a* נָפַשׁ *respiravit dicta:* porro dicit: *Spiraculum Vitarum, ut significetur gemina hominis vita, temporalis & æterna,* mox subjungit: *annon ad animæ, quatenus est* ἐντελέχεια *hominis, perfectionem pertinebat, ut actuaret & informaret ipsa corpus suum? ad quod natura habet propensionem, adeo ut dissolutio ei naturalis non sit:* præterea idem Theologus in verba: *& factus est homo in animam viventem* ita *p.*

235. commentatur: *non per transmutationem, sed communicationem, quia spiraculnm vitæ, corpori, e limo terræ formato, inditum, ad unionem & communicationem, ita ut corpus & anima unum constituerent suppositum, unam personam & corpori anima vitam, motum & sensum communicarit, eumque quia anima rationalis, fuit, vitam intellectualem vivere fecit: Jacob. II. 26.* dicit: *corpus sine Spiritu mortuum est: Vener. Dn. D. Langius in hunc locum* im Apostol. Licht und Recht inter alia ita commentatur: Die Seele erhält den Leib in seinen Wesen und Leben: item ein Leib der ohne Seele ist, beweget und reget sich nicht, wircket nicht das geringste und wird billig vor todt gehalten: *conf. Ejusd.* Entwurff der falschen *Philosophie in System. Wolff. Sect. II. thes. 7. 8. 9. Lovéniensis Prof. Fromondus in Eph. 5. v. 14. ex Chrysostomo* profitetur: *si anima, quæ est energia corporis, abscedit, corpus moritur:* hinc etiam in ebraica Lingua vox animæ non modo spiritui immateriali hominis, sed etiam *corpori Vivo* tribuitur: quare B. Lutherus in Genes. XV. dicit: Man muß in der Schrifft gewohnen des Wortes Seele, daß es nicht allein den Geist, der da von den Leibe scheidet, wie wir es in unsrer Sprache führen, sondern den lebendigen Leib, lebendige Leute heisset; das ist die Weise auf Ebräisch zu reden. *p. m. 109. 110.* inde liquet, quam arcte anima & vita connectantur: producimus insuper iteratum *Buddei* testimonium, quando *in Histor. Eccles. V. T. Period. I. Sect. I. §. XI. p. 91.* profitetur: *Dum Moses plurali numero* חיים *vitarum dixit, indicare voluit, unam eandemque in homine esse animam, cujus diversæ sint facultates & operationes: unde refelluntur hoc ipso, qui plures una in homine statuunt animas, simul & qui animam materialem statuunt:* ita etiam plurimi commentatores *Spiritum*, cujus Ezechiel mentionem

tionem injicit l. all. pro *anima rivificante* interpretantur; vid. *Biblia Vinariensia & Tubingensia:* Hisce testimoniis satis perspicuis nunc alia annectimus ex probatissimis Theologis collecta & selecta: *Ambrosius Lib. I. de dignit. condit. human. cap. 2.* ait: *anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens & gubernans:* porro *B. Arndtius in Postilla Evangelica Festo Annunc. Mariæ Conc. III. p. 359.* docet: Die Seele theilet dem Leibe das Leben mit, und bleibet dennoch von Leibe unterschieden, aber nicht getrennet: distincta, non divisa. *Heinr. Müller* in himl. Liebes Kuß *P. I c. 1.* loquitur: Es ist ohnmöglich daß der Leib lebe ohne die Seele. *Gejerus* in Allgegenwart GOttes 43. Andacht *p. 470.* confitetur: Unser Leib hat ohne die Seele kein Leben. *p. 471.* GOtt giebt allen das Wesen und die Bewegung, wie die Seele dem Leib: incomparabilis & consummatissimus ille Theologus *B. Spenerus* dicit in der Lauterkeit des Evangel. Christenthums *Part. II. Festo Laurentii p. 417. b.* Das Leben kommt von der Seele her: *in Concion. Catechet. Conc. 41. p. 294.* Ohne Seele ist der Leib todt: in Buß Predigten *Pars II. p. 392.* Wie der Leib von der Seelen das Leben wahrhafftig empfängt, daß nicht nur die Seele, ob sie wohl der einige Sitz und Quelle des Lebens ist, sondern aus der Seele der Leib auch thätlich lebet: & *p. 448* Die Seele ist der Ursprung aller seiner menschlichen und natürlichen Würckungen: in Lebens-Pflichten *p. 414. n. 4.* Die Seele muß den gantzen Leib regieren. & *p. 500.* Das Leben des Leibes kommt von der Seele. Ex *Philosophis* antiquissimis allegamus *Aristotelis* definitionem *animæ* & sane a *principaliori* operatione *rationalis* dictæ, *Lib. II. de anima c. 2. text. 24. quod sit id, quo primo VIVIMUS, sentimus & intelligimus;* quod vero *primum*, aut *primo* vivere dicitur, nihil aliud, quam *vita naturalis*, aut *comparate vita corporis* existit:

e recentioribus *Sturmius in Physic. Conciliat.* ſub multa fluctuatione, incertitudine & hæſitatione *Part. Specialiſſ. Sect. Poſt. cap. 1. ſ. 8.* confitetur: *ſi vel argumento, vel experimento evidenti conſtiterit, animam hominis rationalem poſſe & ſolere præſtare non proprias ſolum, ſed animæ ſentientis, ac nutrientis vices, h. e. præeſſe coctioni in ventriculo, generationi in utero, loco motioni in artubus, non patiemur certe fruſtra multiplicari animarum in uno corpore numerum: vid. Fabri tr. de homin. Lib. 7. propoſ. 4.* & licet Sturmius dein in aliam abeat ſententiam, tamen ut poſtulavit *argumentis* & *experimentis* abunde demonſtrari poteſt, quod *anima rationalis Natura f. principium vitale* exiſtat.

§. VI.

Hæc veritas, ſicut *revelationi divinæ* & *ſanæ rationi* admodum conformis, multisque *teſtimoniis* roborata eſt, ita minime *obſcura*, abſcondita, allegorica, metaphyſica & ex *præconceptis* opinionibus formata, ſed *ſimplex*, evidens, ſincera, naturalis & *perſpicua*, minus fucata aut larvata, neque falſis ſuppoſitionibus ſuperſtructa, frivole excogitata, aut ſciolis figmentis, æquivocis experimentis & metaphoricis commentis colorata, quin potius Gloriæ DEI, ſtatui *naturali* & *genuinæ* hominis conditioni *magis adæquata* exiſtit: ſi enim non obſcura adſertio eſt, quod *voluntariis* motibus anima multa ſui corporis membra inſtruat; quod eadem nec *volens*, nec *ſciens* ſub *Patheticis* ſuis commotionibus *omnes* ſui corporis partes *fluidas* æque ac *ſolidas* pariter moveat, quod ſub *peculiari* applicatione & *exercitatione* plane *ſingulares* motus in & cum *corpore* perficere & adminiſtrare *diſcat* ſoleatque,

quos

quos *non omnia* individua, *tali* exercitatione *haud* qualificata, producere & præſtare poſſunt, quod per *imaginationem* nec *ſciens*, nec *volens* interdum *mirificos* in & cum *corpore* ſuo edat effectus; quod peculiaribus *moribus* activioribus, impetuoſioribus, *pertinacioribus* & intenſionibus nec *ſciens*, nec *volens* multos motus in *corporis œconomia* alterare & *immutare* ſoleat; quod continentia & *tranquillitate*, imo reliqua *generica vigoroſa* activitate *omnes* functiones, ad proceſſum *vitæ* ſpectantes, allevare, excitare, promovere, accelerare & ordinare ſoleat; quod viciſſim *immoderata* ſua *morali* qualitate, aut *languore*, *moroſitate*, *pervicacia* & *impatientia* omnes *tales* functiones pervertere, turbare, impedire ſoleat, (*vid. D. D. Præſidis diſpp. de Morum & Morborum conſenſu, de mente ſana in corpore ſano, de valetudinariis imaginariis, de therapia imaginaria, de phantaſiæ uſu, luſu & abuſu in medicina*) ita nullo moroſo, *præjudicioſo* ac repugnante animo reliquum jus *ejusdem animæ* in œconomiam *vitalem* denigrari, aut pro *obſcuro* & *metaphyſico* adſerto declamari & declarari debet, ni *iniquo* ac malevolo tali judicio *honor ordinis divini* violari debeat; ſiquidem ſapientiſſimus Creator ex *Anima* & *Corpore* formavit hominem, corpus cum illo Spiritu, quem inſpiravit, *rationali*, etiam *naturaliter vivum* reddidit, hocque prædicatum omnium primo *non corpori*, ſed *animæ rationali* tribuit: quicunque itaque hanc veritatem, quod *anima rationalis* hominis *natura* ſit, audacter & auſtere *abnegant*, illi omnes prædictas *infallibiles* ac luculentiſſimas veritates impugnant, inſuper ex ſtudio contradicendi contra lucem & ſolem loquuntur: quicunque enim *æqui pollentes* propo-

ſitiones

ſitiones pro arbitrio nunc *negant*, nunc *affirmant*, illi aut valde *incerti*, dubii, inſtabiles, aut animo *partibus* infecto præditi & *ſibi* tantum *placentes* deprehenduntur: Si enim *tale principium* pro *Natura* humana declaramus ac *agnoſcimus*, quod *ipſe Creator eo* deſtinavit, formavit, confirmavit, ac *neceſſariis* viribus & qualitatibus inſtruxit, *ſine quo* corpus, *fieri*, *vivere*, actuari & *integritatem* obtinere & ſervare haud poteſt, quod principium omnibus *reliquis dogmatibus ſacris* convenit, a *probatiſſimis Theologis confirmatur* & approbatur, *ſanæ* rationi apprime conforme eſt, innumeris *ſenſualibus* effectibus corpus afficit, *ordini* naturæ *magis* congruit, *nexui animæ* cum *corpore* exacte reſpondet, omnia *phænomena curatius* illuſtrat, *effectus* ac mutationes, juxta *alias* ſententias vel plane *irreſolubiles* & indemonſtrabiles, vel frivole & *ridicule* explicabiles (*vid. D. D. Præſidis Progr. de Natura quatenus idolo & aſylo ignorantiæ in Medicina*) magis *ſolide*, *judicioſe* & *perſpicue* interpretatur & explicat, omnibusque requiſitis, *plus quam ulla alia*, opinio ſatisfacit, in *omni* vero demonſtratione *naturali* connexione, ordine & concluſione, citra aliquam larvam *aſſimilationum* & *ſuppoſitionum*, nititur; tunc aliud *ignobilius*, vilius, inferius, indigniusque, quod omnibus hiſce deſideratis *nullo modo* ſatisfacere poteſt, *ſupponi*, obtrudi & *præferri haud* debet: hæ ſingulæ itaque qualitates militant pro *anima rationali*, quæ eapropter in ſuo corpore & *mentaliter* & *naturaliter*, *ſpiritualiter* & *phyſice* operatur, hacque facultate a Summo Creatore inſtructa eſt: nec tamen eapropter exiſtimandum, quaſi *metaphyſica* hæc ſit adſertio, quo minus actio & *operatio animæ* in ſuo *corpore* non *abſtracta* aut *metaphyſica*,

ſed

ſed phyſica & *naturalis*, diſtincta & *manifeſta* eſt, quo minus *voluntaria* corporis commotio, aut *commercium animæ* cum *corpore* ſub *animi pathematibus*, juxta *mores*, per *imaginationem*, per *hæreditatem*, mediante *ſenſibilitate perſonali*, æque minus æquo & *ſobrio* judicio *metaphyſicis* aut tenebricoſis reſpectibus & ſubtilitatibus accenſeri poteſt & debet.

§. VII.

Sicut ex hactenus dictis *generali* adhuc & velut *introductoria* explicatione facile *veritas* illa, quod *anima* hominis *rationalis Natura humana* ſ. *principium vitale* ſit, inclareſcit & ab illis agnoſcitur, qui *rationes* admittunt, ſcrutantur, conciliant & applicant, nec ſtudio præter neceſſitatem contradicendi ac vituperandi aut philavtia turgent & æſtuant, ita *multa argumenta* ac *demonſtrationum* ſpecimina ſuppetunt atque ſuperſunt, quibus eadem confirmari & certificari poteſt: Horum argumentorum *quædam* in medium proferre lubet & *primo* quidem loco *talia*, quæ ex *Ratione* hanc ſententiam probant: Summum *Creatorem* itaque *corpus*, non dum *vita naturali* præditum, creaſſe, *Sacra Scriptura* teſtatur: Benigniſſimum ac Omnipotentem Deum corpori *inanimato* & vita deſtituto, *cum inſpiratione animæ vitam* etiam naturalem ſuppeditaſſe, perinde *S. Codex* confirmat; inde fluit, hanc vitam *corpori non fuiſſe propriam*, ſed *adventitiam* & *ab eadem anima* provenisse; nam aſſerere *vitam* illam ab *anima* & *corpore diſtinctam* & tantum ſub *connubio animæ* corpori inſinuatam fuiſſe, nuda *opinio*, *nulla* ratione ſolida inſtructa eſt; inde enim *perverſa* illa opinio flueret, quod vita *ſpiritualis* etiam utpote diſtinctum & *ſeparatum* quid ab *anima* conſi-

derari & haberi debeat; qualis opinio multarum *confusionum* mater esset; hinc anima hominis non esset *spiritus*, Spiraculum aut *causa vitarum*, sed tantum *signum*, index & comes *vitarum: Hæc anima* vero a Creatore *illa qualitate* instructa est, qua *operari*, movere & activam se exhibere queat; *actio* vero illius est juxta ordinationem & *inaugurationem divinam* vitas illas & *Spiritualem* & *naturalem* administrare, *illam*, qua eadem anima proximum *commercium* cum *Deo* & *æterna* beatitudine habet, *hanc*, qua cum suo domicilio, *in quod* Deus eandem inspiravit, cohærere ac in & cum illo *temporali* felicitate frui possit: de corpore *nec* per *revelationem*, *nec* per *rationem* constat, quod *Deus* ipsi *facultatem movendi* largitus sit; id quod tantum *fallaci suppositione* traditur, quasi Deus *materiam activam*, aut *per se* moventem creaverit, quod vicissim de *anima*, utpote *spiritu* ac *digniori* subjecto meliori & *æquiori* jure ac ratione prædicari & demonstrari potest; præprimis dum præter facultatem movendi, nullam aliam *principalem* habilitatem anima possidet; inde liquet, quod juxta ordinem, destinationem, leges & *voluntatem Dei*, utpote *veram* & non fictitiam, laceram, imaginariam, præjudiciosam & confusam *Harmoniam præstabilitam*, anima *suum* & non *alterius* subjecti corpus *vivificare* debeat, atque hoc privilegio & potestate instructa sit: Si itaque hosce respectus *connectimus*, indeque sanam & *naturalem* conclusionem formamus, ita judicamus: Si *Deus* in formatione *hominis animam* & *corpus* creavit, illam *activam*, hoc actuatione, motu ac *vita indigum*, attamen destitutum, quidni *majori* jure evincere & concludere queamus debeamusque, *animam suum corpus illa* qualitate instruere,

re, *quam illa* possidet, *corpus* vero eadem *indiget*, & quam hoc *nec sibi ipsi* largiri potest, *nec Deus* eidem concessit, indidit, ac *propriam* fecit: & si *processus vitæ dignior* est respectus, quam æstimatio *nudi* corporis, quod *vita carens*, *nullis ordinariis* usibus *humanis* inservit & ita *sobria* magis mente majorique iterum jure, *operatio* & directio *vitæ* a causa *digniori*, velut *anima*, ac *indigniori*, utpote *corpore*, derivatur & demonstratur: Et quemadmodum Deus, dum juxta suam omnipotentiam corpus *per se vivum*, formare potuisset, id ipsum tamen *haud* fecit, sed cum *anima* huic *corpori vitam* tribuit, ita quoad operationem aut activam emanationem *vita* non provenit a *corpore*, sed *ab anima* corpori suppeditatur, præcipue dum anima in processu *motus voluntarii*, quem *in* & *cum* corpore perficit, *principalissimo* illo motu, videlicet *fibrarum motricium constrictione* & *relaxatione*, qui in œconomia *vitali* palmarius etiam motus existit, utitur, ita facile elucescit, quod juxta valorem hujus rationis *Anima* Rationalis *Natura* humana esse *possit*, imo jure *strictiori* esse *debeat*, quam ulla alia *supposita* causa esse *forte possit*; nam facultas hæc *evidentiori* judicio & demonstratione, ut & eminentiori sensu de *anima*, quam aliunde deduci, derivari & prædicari potest.

§. VIII.

Et quid magis pro jure *animæ* in suum domicilium, videlicet *corpus* militat, quam illud *vinculum* atque *commercium*, quod *inter utrumque* subjectum, juxta *ordinem* & legem *Dei*, intercedit: etenim in *hoc mundano* systemate *Anima* Rationalis sine *corpore* humano *existere* & *operari* haud debuit, quamvis per *omnipotentiam* Dei, si videlicet

Deo *aliter* placuiſſet, in hac naturali rerum univerſitate *ita* exiſtere & operari *potuiſſet*, ſicut de *angelis bonis* & *malis* id deprehendimus: quare ſapientiſſimus Creator, *primo* loco formavit corpus, & *intra hoc* introduxit animam, ita *mediante illo hæc* anima cum ſubjectis, effectibus & phænomenis *phyſicis* commercium inire potuit, & viciſſim *hoc corpus* ab *illa* anima principalem hanc qualitatem impetravit, videlicet *integritatem*, conſervationem & congruam actuationem *motus*, uſibus *humanis* quadrantem: utitur itaque *anima* ſuo *corpore*, utpote *organo*, cum quo *generice* objecta *materialia* & *motus* in & cum materiis procedentes percipit & *obſervat*, ut poſt hanc animadverſionem, *de iisdem* æſtimationem ac *judicium* formare poſſit; cum *organis* enim *Senſoriis* illa partim hæc *objecta*, partim horum *relationes* & *effectus phyſicos* percipit & advertit, cum *corpore illa* ipſa ſeſe quantum *poſſibile* eſt *talibus* objectis horumque effectibus *appropinquat* aut *ſubducit*, id quod in *ordine naturali ſine corpore* præſtare *haud* poteſt; hac ipſa vero operatione non modo *interiores* ſuas ſenſationes, ſive *mentis* operationes, *excolere*, exercere & *excitatiores* ac agiliores, ſed & in *judicando*, æſtimando, comparando & *applicando* promptiorem & perfectiorem ſe reddere ſolet; quam ob rem *anima* in proprium ſui *principalioris* officii commodum *corpore* utitur: quam *vile* vero & *anile*, abjectum & ignominioſum in dignitatem *animæ*, utpote *Spiritus*, ejusque *Creatoris* eſſet judicium, quod anima quidem directe, poſitive & proxime in *rationalium* ſuarum operationum *emolumentum corporis commercio* indigeat, *corpus* vero in *ignobiliori* videlicet *vitali* & per *organa materialia* perficiendo

ciendo, processu, non modo *animæ directo* commercio non utatur, sed &, si illud ex *accidenti*, velut in *animi pathematibus*, evenerit, ab eodem *turbetur* & pervertatur: quis non ex hoc concluso perspiciat, quam *inique* quidam *partes* contra *animæ dignitatem*, a Deo institutam, teneant, indeque magis *corporis servi*, subditi ac mancipia, quam *animati* sint homines, qui magis gestiunt a causa *viliori*, utpote avtomata & *ignobilia artefacta*, videlicet a *corpore* hujusque affectionibus, quam ab *illo Spiritu* dirigi, quem summus *Creator corpori otioso* sic dicto, adhuc anima & motu *destituto*, inspiravit, indeque effecit, ut *Homo creatus* sit; siquidem exinde elucescit, quod *principalior* character *humanitatis*, aut quod *homo* factus sit, non ex sapientissime formata *machina* corporis, sed ex *Anima illa* inspirata, duci & derivari debeat, juxta testimonium *Sacri Codicis*, quod Deus *perfectionem* creationis hominis absolverit hac *inspiratione* animæ in corpus: quo *dignius subjectum* est Anima, eo *digniora prædicata* ab *illa* & non a *corpore* deduci debent: hinc *Deus vinculum animæ* cum *corpore* ita *univit* & confirmavit, ut, quamvis *post mortem* naturalem corpus corruptionem & *destructionem* præsentis naturalis *infirmæ* & *imperfectæ* structuræ subire debeat, tamen *denuo cum anima uniatur* & in *æternitates* unita permaneat: præterea *corpus sine anima* nec *fieri*, nec *subsistere* diu, nec *usibus congruis* destinari & applicari potest: enimvero in *perfectissimo* suo statu mox *post sui formationem* corpus *sine* anima, nuda fuit *otiosa machina*, omni functione & actione expers, & anima, utpote causa *vitæ* naturalis *indigens*, ut aliquoties monuimus; si itaque singuli motus *vitales* & *naturales sine anima*,

 ma,

ma, adeoque a corpore, ope ſuarum qualitatum *mechanicarum*, perfici potuiſſent, ſane id ipſum fieri & obſervari debuerit, in *illo ſtatu*, quo *perfectiſſimis* qualitatibus corpus inſtructum fuit, nunc vero hoc ipſum in *illo ſtatu non* contigit, ergo vi hujus *commercii corporis* cum *anima* vita *naturalis*, ſine *anima* fieri, exiſtere & *a corpore* ſupponi *non* poteſt; per *juſtam* propterea conſequentiam eadem *anima* principium vitale, ſive *natura humana* exiſtit: ſine anima itaque corpus eſt *mortuum:* de quo poſteriori phænomeno male interpretatio ita formatur: quod vita quidem *non* ab *anima*, ſed a *propria* actione *corporis* proveniat, interim quia Deus animam & corpus *conjunxit*, fieri, ut ſi anima a corpore ſuo *ſeparatur*, *corpus* ſimul, quia nunc *ulterioribus* uſibus *humanis* haud inſervit, *motus* ſuos amittere & juxta voluntatem divinam deſerere teneatur, quæ adſertio vero valde *obſcura* & *plusquam metaphyſica* eſt.

§. IX.

Quod *corporis* rationem attinet, tunc illud a *Creatore inſtrumentali* aptitudine, i. e. *mechanica* diſpoſitione qualificatum eſt, ita quidem, ut *ſingulæ* illius partes *congruis* motibus, ad *ſalutarem* finem impetrandum idoneis, inſtrui queant: neque tamen propterea hi *motus* cum illis partibus *confundi* debent, ac ſi hiſce *proprii* ſint, & ab iisdem *primario* proveniant, aut ſub *ficto* influxu alicujus liquidi *materialis* ſubtiliſſimi in & cum iisdem perficiantur, ſiquidem hi motus illis partibus *adventitii* ſunt, quare in hiſce peculiari *modificatione* & *directione* indigent, quoniam *mechanica* fabrica illarum ita conſtituta eſt, ut *variantes* motuum *gradus*, atque proceſſus in & cum illis inſtitui queant,

ex

ex quibus aliqui vitæ & ſanitati *congrui*, quidam viciſſim *adverſi* & perverſi eſſe poſſunt; haud enim *univerſalis mechanica* qualitas eſt, ut machinæ quædam *ita* & *non aliter* moveri *debeant*, queant, ſoleant, quæ potius qualitas *ſpecialis* aliquando plane *accidentalis* eſt, dum a *corporibus abeſſe* poteſt: hinc quædam machinæ ita ſunt *conformatæ* & conſtructæ, ut juxta ſuam diſpoſitionem *aliunde abſolute moveri, dirigi* & ad certos *effectus* & *fines proportionate* applicari debeant, omnes vero ſub *aliquo directorio* conſiſtant: ob id tam *rigoroſe* concludere & judicare haud licet, quod corpus humanum, eo, quod *machina* eſt, ſe ipſum motibus afficere & *dirigere* debeat: quare *creberrimis* exemplis conſtat, quam *facile* ac ſæpe motus illi, qui *mechanici* in corpore humano dicuntur, per multiplices *naturales* cauſas *mutari* & *perverti* queant, unde tot turbulenti, vitioſi, *erronei* & alieni motus oriuntur: Si itaque partes corporis *variantibus* & æque *facile inverſis*, quam *congruis* motibus affici poſſunt & ſolent, attamen in proceſſu *vitæ* & *ſanitatis* naturalis *regulariter* & legitime actuantur, ſequitur, quod poſterior reſpectus non nitatur *neceſſitate mechanica*, ſed rectius ab *alio directorio* proveniat, unde multarum *aliarum machinarum* motus ac uſus dependent; hinc *inſtrumentum* non definitur, quod ſit ſubjectum, certa diſpoſitione materiali, idoneis, *uſibus* & *finibus* quadrante, præditum, *ſe ipſum actuans & dirigens*, ſed a cauſa *altiori* & *digniori* directum: huc quadrat dictum *Eſaiæ X. 15. num gloriatur ſecuris contra findentem per eam? num extollit ſe ſerra contra moventem illam?* nec quidem attendenda nobis videtur exclamatio, ſi *demonſtrationis* loco profertur, quod Deus *potuiſſet* machinam

corpo-

corporis ita informare ac disponere, ut *se ipsum* moveat & *dirigat*, sicut artifex *homo*, ut quidam aiunt, tales machinas construere potest! imo minus *adæquata* & *justa* nobis videtur esse *subsumptio* & *connexio*, quod, quia machina corporis humani *multis* modis machinas, manu & *arte humana* paratas, superat, ergo Deum etiam *voluisse* ut *suum* opus, *sapientissime* formatum, *se ipsum* actuet & dirigat: quippe quæ *consequentia* aperte *vitiosa* existit, cum nulla *necessitas* illam inferat, nisi *præconcepta* opinio, quod corpus humanum, quia *mechanicis* qualitatibus præditum est, & quia anima rationalis illud afficere & regere non debeat, *se* propterea *ipsum movere* teneatur: ex præmissis enim meditationibus & demonstrationibus concludimus, si anima rationalis secundum *voluntatem* suam varias corporis partes, eadem dispositione physico-mechanica præditas, non modo *movere*, sed pro arbitrio *diversimode* movere potest, citra absolutam *necessitatem avtomaticæ* actionis in corpore, quid obstat, cur eadem *reliquas* corporis sui partes juxta leges, *ordines* & regulas œconomiæ *vitalis* etiam *citra* influxum *positivæ* voluntatis, *ita motibus* afficere & dirigere queat, ut nulla coacta *necessitas* materialis, aut *mechanica* directorium gerere teneatur: quemadmodum æque vitiosa & *erronea* esset comparatio, connexio & *conclusio*, quod, sicut artifices avtomata, aut machinas exstruxerunt & conformarunt, quæ *ferme similes* actiones præstiterunt, ac *humanæ voluntariæ* existunt, (*vid. A. N. C. Dec.1. an.10. obs.1. de Statua humana se ipsam movente, s. homine Cartesiano*) ita *genuinæ* actiones sic dictæ *voluntariæ*, non *arbitrii imperio* indigent, sed etiam *non volentibus* hominibus in *ordinario* & *consueto* statu succedere possent;

possent; quod *posterius* vero, videlicet *consequentia* simili nævo ac errore laborat: nobis vicessim ex hisce præmissis videtur *sanæ rationi* & præcipue *ordini divino* magis conforme esse, si ita judicamus, quod hæc œconomia *naturalis* in corpore, tam *affabre* formato & partibus multiplicibus, diversa *dispositione mechanica* instructis, a causa *rationali* instituatur, *administretur* & *dirigatur*, ita, ut in *ipsius corporis* utilitatem singularumque harum *partium* emolumentum per illam *mechanicam* dispositionem *salubres* ac *durationi* ejusdem, extreme *fragilis* & corruptibilis, corporis quadrantes effectus, sub multiplici *vicissitudine* causarum *aliorumque* effectuum *naturalium* & *moralium*, obtineantur: quemadmodum itaque facilior, solidior & luculentior demonstratio est, quod corpus tam *mirabiliter* constructum & ad *diversos* motuum gradus assumendos pronum, a causa *rationali* dirigatur, quam a causa omnibus modis *obscura*, *fictitia*, *supposita* & per mirabiles respectuum rationalium contorsiones & confusiones colorata; siquidem hactenus multiplices tales paralogismos commemoravimus.

§. X.

Rationibus & demonstrationibus hactenus prolatis, quæ thesin nostram confirmant, addimus porro hanc, quod ipse *Motus*, mediante quo *corpus* affici ac dirigi, *vita* produci & *Natura* suo officio fungi debeat, non a *corpore* hujusque affectionibus, neque ab *extranea* quadam communicatione provenire queat, propptereaque ab *alia* & quidem *digniori* causa *primam* suam originem sive emigrationem ducere debeat: nam si *Motus indolem* indagamus, haud ulla *solida* ratione probare possumus, quod ipse

corporeæ ſit eſſentiæ, id quod *Dn. D. Præſes* in ſua *Phyſiologia* & *Phyſica* uberrimis rationibus confirmavit: motus enim in *quocunque* ſubjecto inveniatur, eſt *actio* aut operatio, hæc porro nullibi eſt *materia* & ſi *materialis eſſentiæ* non eſt, non poteſt eſſe *vis*, aut *qualitas materiæ propria*, ſed *acceſſoria:* nam aſſerere velle Deum materiæ *indidiſſe*, aut concreaſſe *motum*, materiam per voluntatem Dei eſſe *activam* & per ſe motus *primam* cauſam, theſis tantum eſt, quæ hactenus nondum & nullibi demonſtrata, confirmata, applicata, nec contra rationes *oppoſitas*, vindicata eſt: ergo *ubicunque* motus eſt, ibi *actus* eſt; *actus* vero *nullibi* materia, aut *eſſentialiter corporeus* eſt, per conſequens *nullibi* motus erit *materialis:* ob id *ſpiritualis* eſſentiæ, attamen non ipſe Spiritus exiſtit; æque ac *intellectus* & *voluntas* ſunt *actus animæ* & propterea *nihil materiale*, ſed ſpirituale, tamen *non ipſa anima:* diſcrepant itaque, ut *cauſa* & *effectus:* ſi itaque corpus *vivum* & *ſanum* reddi debet, debet utique certis motuum *ſpeciebus* & *gradibus* affici; ſi vero motus nec *materialis*, nec *propria* materiæ affectio, ſed *ſpiritualis* eſt, tunc ipſe *principaliter* a *tali* cauſa provenire debet, quæ *ejusdem* eſſentiæ exiſtit, nimirum incorporeæ aut *immaterialis;* ſi porro in homine *præter* animam rationalem *nulla alia ſpiritualis* & immaterialis exiſtit cauſa, quam eadem *anima rationalis*, ita per *naturalem* conſequentiam motuum, quibus vita & ſanitas adminiſtratur, *nulla alia* cauſa *efficiens prima*, *propria*, genuina, idonea, congrua & proxima eſſe poteſt, quam *eadem* anima; de hac porro ſcimus, quod unica & *genuina* ejus facultas ſit, capacitas movendi, operandi, agendi, quod porro a Deo *corpori indita* ſit, quod

ante

ante ejus inſpirationem intra *corpus*, hoc *otioſum* & motu *deſtitutum*, vitaque *expers* fuerit, quod *ipſa propter corpus* & *corpus propter ipſam* ſit, quod *ſine anima* corpus *mortuum* ſit, quod anima *multas corporis* partes *proportionate* movere queat ſoleatque, quod tamen *corpus motu indigeat*, ſi vivum & ſanum eſſe debet &c. quis itaque ſub *hiſce* reſpectibus adeo contumax & *moroſa* repugnantia auſterus ſit, ut hoc non obſtante aſſerat animam non naturam eſſe, ſed *aliam* incertam, dubiam, fictam, ſuppoſitam, imaginariam & nudis *ſimilitudinibus*, ac *allegoriis* coloratam cauſam, naturam eſſe, de qua *ſingula* hæc prædicata *nulla* evidentia, confidentia, certitudine & ſolida perſpicuitate enunciari poſſunt: Hi *motus* itaque *ab intra* corpori communicantur, æque ac *voluntarii*, qui non *extrinſecus* ad *proximum* uſum adſpirant; quare *Ariſtoteles naturam* definivit, quod ſit *principium motus & quietis*, in illo ſubjecto exiſtens, *in quo ineſſe* deprehenditur *motus primo*, *per ſe & non per accidens:* ſicut itaque anima *motus voluntarios* ab intra communicat & in partes immittit, ita perinde *reliqui* motus ad *aliarum* partium actuationem ſpectantes, non ex *aëre* deduci, nec ex *victu* & *potu* ſupponi debent, ſed magis fundata ac perſpicua ratione ab *interna illa* cauſa demonſtrari poſſunt, quæ cum iisdem *proximiorem* communionem habet: & quemadmodum motus, qui ſub *animi pathematibus*, aut ob immoderatiores *mores*, *imaginationem*, *hæreditatem*, *conſuetudines* cerebro, generi nervoſo, cordi, ventriculo, hepati, renibus, inteſtinis, locis genitalibus, &c. communicati, *non* ex *aëre*, *victu* & *potu* deduci poſſunt & debent, ſed *proxime* & rectius ab *anima* demonſtrantur, ita pervicax

esset morositas ac præjudicium, si in *ordinaria* œconomiæ vitalis administratione, motus *aliunde*, quam ab eadem anima deducerentur; unde non nisi crassa emergeret *confusio*, qua supponitur; quod (juxta illorum *arbitrium*, qui animam pro natura non agnoscunt & admittunt) nunc *quosdam* motus in corpore eadem anima perficeret, aliquando *tales* motus *alia* causa exequeretur, interdum anima motus in suo corpore *voluntarie* exerceret, quandoque *involuntarie* administraret: quare videtur hic adesse favor in judice, qui pro *lubitu*, nunc animæ jus *in corpus* admittit, nunc denegat: interim pro ulteriori nostræ sententiæ confirmatione judicamus & indicamus, quod motus *ab extra* corpori immissus, sive ab aëre proveniat, sive ex alimentis & potulentis derivetur, *ineptissimus* existat, quo *quaslibet* corporis humani partes ita congrue & *proportionate* actuaret & disponeret, ut sub multiplici concurrentium causarum *moralium* & *physicarum vicissitudine*, tamen effectus, *conservationi* ejusdem corporis *exacte* respondentes inde eveniant: hinc connexio motuum per hanc corporis *machinam* dispositorum cum *diversis* causis, *in* & *extrinsecus* obtingentibus, longe *abstrusior*, infirmior, obscurior & imperfectior est, quam hæc, si judicamus, *corpus* debet *moveri* & quidem *convenienti* motus *gradu*, ad illum *finem*, qui est *conservatio* ejusdem corporis; *motus* est subjectum *incorporeum*, cum *corpore* vero facile & cito *commercium* subit; *anima rationalis* est in corpore, quæ *nihil aliud* potest, quam *movere*, siquidem *motus* & *anima* utpote *causa* & *effectus* magis *conveniunt*, quam *motus* & *corpus*; anima non modo *potest*, sed etiam *solet* in variis *aliis* casibus corpus suum

moti-

motibus afficere & regere, ergo longe *convenientius* in celebri processu *vitæ naturalis* anima, quam *alia causa* hoc *suum corpus iisdem* motibus instruit.

§. XI.

Et ne sontica *dubitatio* hanc veritatem premat, *quæstio* movenda erit, an *anima*, utpote substantia *incorporea*, simplex, Spiritus & *rationalis*, corpus, utpote subjectum *crassum movere* queat? quod *spiritus* cum *materia* aut corpore *commercium* habere queat, nonnulli *hæsitant*, ob rationem, quia inter *utrumque* deficit *contactus*: ast in hoc asserto notandum est, quod ratio *formalis* commercii *activi*, non consistat in mutua connexione aut *contactu* essentiarum, si enim *essentiæ* rerum se tantum contingerent & nulla *alia* qualitas communicaretur, æque otiosum quoddam esset corpus, ac si in lapide *quieto* unum sabulum alterum contingit; hinc ad tale commercium requiritur *communicatio motus*: dum itaque Spiritus *essentia* sua corpus contingere non potest, per *divinam* tamen ordinationem *motus* cum *materia convenire* potest, & in hac universitate rerum etiam *debet*, hinc quia corpus *per se* motum producere & *efficere* non potest, spiritus vicissim per *propriam* & *genuinam* suam potentiam *movere* potest & juxta *divinam* destinationem & institutionem *debet*, ita Spiritus cum corpore non abstractum, sed per *motum*, quem *ipse efficit*, commercium init & subit; nam adsertio quod *Spiritus* eapropter cum *corpore* convenire *haud* posset, quia ille *immaterialis* & hoc *materiale* existit, nullius *valoris* & *rationalis* consequentiæ est; sicut *Angeli* per potentiam & *ordinationem* Dei commercium cum materiis habuerunt, sicut *motus* utpote

immaterialis, per potentiam & ordinationem Dei cum *materia* congreditur, ita *anima* cum *corpore* per eandem potentiam & ordinationem Dei commercium habet: sicut *Deus* per *motum* ſuum *omnipotentem* omnia creavit, & ſuas creaturas adhuc conſervat, ſicut *angeli* per *motum* operantur in mundo viſibili & diverſa *corpora* affecerunt, ita *anima* per *motum* commercium habet cum *ſuo corpore*: atque ita *anima poteſt* & *ſolet corpus* movere, imo juxta *Dygby de immortalitate animæ cap.5.9.* per certam *motus modificationem* corpus *movere* & *levius* reddere, *conf. Garmannus de mirac. mortuor. lib. 2. tit. 3. ſ. 25.* quo majori *vigore* & *alacritate* anima ſuum corpus *voluntario* etiam motu afficit, eo *levius* in certis caſibus illud eſt; quando vero eadem *anima* ſuis viribus naturalibus, *torpeſcit*, langueſcit & *enervata* obſervatur, tunc *corpus* evadit *gravius* & ponderoſius: exemplo *ægrotorum*, qui quamdiu ſub tractatione & *portatione* adhuc *mediocre* corporis pondus habent, nondum juxta *communem* proceſſum ac modum moriuntur, quando vero nunc corpore valde *ponderoſi* evadunt, licet aliquando plane *emaciati* ſint, tunc *brevi* moriuntur: hinc in omnium facultate eſt, ut pro arbitrio ſuo corpus *levius* ac *gravius* reddere queant, per eandem motus *ineffabilem modificationem* & ſpecialiſſimam exercitationem in ſuo corpore; quare *ſpiritus* non modo *ſubtiliſſimam* materiam, ſed etiam corpus *duorum* & *trium centenariorum* pondere inſtructum movere & in notabilem *altitudinem* turris aut montis geſtare poteſt, & ſolet, quando homines illico adſcendunt: quo actu *anima* cujuslibet hominis, *corpus* utpote *domicilium* ſuum eo defert: Hæc anima rationalis corpus ſuum

movet,

movet, ſine ambagibus aut *intermediis* cauſis *materialibus* juxta *voluntarium* ſuum arbitrium, quos nominare ſolemus *voluntarios motus*, quibus afficit *fibras carneas* & *nerveas*, videlicet *muſculos*, *tendines* & cum hiſce *oſſa*; hoſce motus *ſubito* partibus immittit & communicat, pro ejus nutu & ſubito illos iterum pro deſiderio ſuo ac arbitrio *omittit*; qua occaſione iterum haud attendendam judicamus illam *oblocutionem* ſatis jejunam & frigidam, quod anima tales motus non *proxime* in *corpus* ſuum aut *immediate* exercere poſſit, quia ſpiritus, aut *immaterialis* eſt, ſed eo miniſterio *liquidi nervei* utatur; quales *extravagationes* aut petitiones principii merito vitamus, dum reliquam demonſtrationem & deductionem, *obſcuram*, difficilem, intricatam, confuſam & *vanis ſuppoſitis* accumulatam reddunt, atque inextricabilia nova *dubia* cauſantur, quæ primo *nexum animæ* cum ejusmodi *liquido nerveo* & *hujus* cum *reliquo* corpore deinde urgent, in qua explicatione ſi *allegoriæ* ſeparentur, reliqua demonſtratio nuda & famelica eſt; quam ob rem *obſcuritatem* vitantes, aſſerimus & inferimus quod anima *repente* tales motus, exercere, *augere*, *minuere*, omittere, *variare* & corrigere queat, ut ne quidem per ſobriam rationem & *imaginationem* cauſa intermedia applicari & conciliari queat: Si itaque anima rationalis poteſt *tales partes*, ut ut pro *diverſis* uſibus, *deſtinationibus* & applicationibus *voluntario* movere, cur non *ſimiles* partes & alias ad *alios* uſus, ad quos voluntas *moralis* neceſſaria *haud* eſt, *motibus* inſtruere, adeoque *principium vitale* eſſe poſſit: ſiquidem connexio & *commercium voluntatis* non pertinet ad requiſita *eſſentialia* operationis animæ in ſuo corpore, ſed potius

potius ad *accidentalia*, quoniam *nonnullæ* commotiones corporis aliquibus *moralibus* usibus, respectibus, destinationibus & æstimationibus inserviunt, aliæ vero *vitalibus* & *corpori* plus inservientibus commodis, effectibus & processibus quadrant: inde etiam est, ut cum *hisce* motibus nonnunquam *usus* pariter *artificem* faciat: ut ut nonnulli homines *certas hujus* motus applicationes, mutationes, directiones & *modificationes* administrare *non* queunt; alii vero talibus *exercitiis* inhærentes *miras* corporis agitationes perficere possunt, testimonio saltatorum, funambulorum, gesticulatorum, morionum &c. & ita in *moralibus*, nec non *corporis* statum concernentibus operationibus animæ *crebra* exercitatio magis magisque *capacem* & *qualificatam* ipsam reddit *animam*: ex quibus omnibus *infirma* contradictio elucescit, quasi eapropter *anima natura* esse nequeat, quia *internorum* corporis viscerum motus, non pro *arbitrio* suo suscipere, dirigere & mutare queat; quippe quam oblocutionem, nunc, superius & alibi *satis destructam* conspicimus: quam ob rem *quælibet* actiones animæ habent *suos limites*, *ordines* atque *leges*, quas ipsa *nec voluntariis*, nec reliquis motibus *transgredi* potest: sicut itaque *directorium voluntatis* in œconomia vitali haud *principaliter necessarium* aut *fructuosum* est, ergo motus *in eadem* juxta suam sphæram, a *Creatore* ordinatam & dispositam, *citra* voluntatem procedunt, aut ab anima, quatenus *Natura* est, administrantur.

§. XII.

Neque tantum *rationalis anima* jus & activitatem in corpus suum prædictis testatur motibus, sed subinde

in

in *omnes partes* corporis operationem suam transfert, id quod in *Patheticis* animæ commotionibus, sive *affectibus* animi contingit, sub quibus *diversimode partes* & *officia*, ad *vitalem* œconomiam pertinentia, afficiuntur & mutantur: & *si vera* esset adsertio, quod anima motus *tantum turbare* posset (quæ adsertio tamen *veritati* non consona est) illa tamen inde *indubia* veritas elucescit, quod anima etiam *nec sibi conscia* in horum motuum administratione & institutione, nec *volens* ac *deliberans* in eorum exercitio & tamen motum *cordis* & *sanguinis*, & quaslibet *se-* & *excretorias* functiones, quid quod ipsam *nutritionem* valde alteret, ita ut ejusmodi *mutationes* talium *motuum* & *operationum* confestim cum ipso processu *patheticarum* commotionum *coincidant*, adeoque *connexio* in utrasque satis evidens sit: hinc *obscura* & *perversa* est interpretatio, quod anima in *genere* motus, in corpore procedentes, *turbet*, inde fieri, ut *ita* turbati motus per se *turbulentos effectus* proferant; dum contra *manifestum* est, quod quælibet *patheticarum* commotionum *species*, *peculiares* causetur alterationes, ut *generica* & abstracta perturbatio & confusio motuum singulis hisce *specialissimis* effectibus satisfacere *haud* posset, dum contra rationi *sanæ* magis *conforme* est, quod *quaslibet* tales *alterationes* ipsa anima perficiat, siquidem *subitaneus* illarum processus, qui mox sub *initio* pathetici motus sæpe contingit, non a communicatione *successiva* motus turbati, sed *proximius* ab ipsa anima, *motum* & *functionem* talem *directe* alterante, dependeat: quare perinde *phantasiæ* usus & lusus otiosus & lepidus esset, si per ambages adstruere velimus, quasi *anima* sub *patheticis* commotionibus, non *immediate* corpus alteret (cur? quia

est anima!) sed *ministrante liquido nerveo;* quæ imaginatio in præcedentibus jam rejecta est; quemadmodum *tota* adsertio, quod anima per ejusmodi *ministros* operetur, *falsa*, ridicula, tenebricosa atque obscura, imo innumeris paralogismis, petitionibus principii & contradictionibus turgida & squalida est; *nulla* enim necessitas urget, *subordinatam* aliquam causam supponere aut fingere, dum anima *per se* satisfacit, quo *tales* motus *immediate* proferat & exerceat; alioquin illa *prius* hoc liquidum nerveum *impellere*, deinde plane *dirigere* & quo effectus *patheticis* commotionibus *conformes* fiant, ac proveniant, eo *specialissima* cura & opera disponere deberet, quæ demonstratio deinde nudis *suppositionibus* niteretur, ac in *articulos fidei* fatisceret: Sicut enim in *voluntariis* operationibus nulla tali *intermedia* & ministrante causa indiget, ita frivolum esset *entia* præter necessitatem multiplicare & loco *perspicuæ* demonstrationis, obscuras imaginationes obtrudere velle: si itaque anima sub *patheticis* suis motibus, aut *occasione* illorum, *totum* suum corpus & *singulas* functiones, nec *conscia* nec *volens*, motibus & mutationibus afficere potest, quis jam *solide*, nervose, *judiciose* & prudenter asseverare & *probare* poterit, quod eadem anima in *œconomia vitali* æque nec conscia nec volens motus & functiones perpetrare neque *possit*, neque *debeat*, siquidem hujus adserti veritatem nec *ordo* & constitutio *divina*, nec etiam illa *sobria* & a crassis *præjudiciis* libera ratio tuetur & confirmat; hinc potius tam ex hac, quam ex præmissis demonstrationibus *luculenter* & solide probamus, animam illam *rationalem naturam humanam* esse: & quamvis *vehementes* affectus animi *convenientem* motu-

um

um vitalium *gradum* ac *ordinem* valde alterent, adeoque utplurimum *integritatem* vitæ & ſanitatis violent, tamen *quidam* horum affectuum non leviter, ſed ſatis *eminenter* vitæ ac ſanitatis proceſſum *erigunt*, ſublevant, excitant & in *ordinem* ducere adjuvant, teſtimonio moderati *gaudii*, accepti ac temperati *deſiderii*, bonæ *ſpei*, *delectationis* ac *hilaritatis* modicæ, &c. ex quibus facile liquet, quam *iniqua* & animæ *injurioſa* ſit declaratio, quaſi hæc ſuis *affectibus* œconomiam corporis *tantum turbet*, deſtruat, offendat & pervertat, ſiquidem viciſſim *ejusmodi* animi pathemata, quæ *communi* judicio *pernicioſa* prædicantur, in *modico* gradu exiſtentia, non modo *ſæpe nihil* nocent, ſed aliquando plane vim aliquam *medicamentoſam* habent, velut ira, terror, timor, triſtitia, *conf. D. D. Præſidis Præfatio diſſ. de Therapia imaginaria:* Quando vero porro obſervamus *connexionem* alteratorum motuum *vitalium*, ſub animi pathematibus occurrentium, cum *moralibus* illis reſpectibus, qui in *iisdem animi affectibus* annotandi ſunt, tunc tota hæc demonſtratio, quam modo adduximus, eo *firmior*, *ſolidior* & *evidentior* erit: brevitati in hac poſteriori meditatione ſtudentes, allegamus *Illuſtr. D. D. Stahlii Programma ſub tit. anomalias motuum vitalium patheticas non eſſe tumultuarias: diſp. de Vita* annexum: inde ſignificamus quod, ſicut in *iracundia* reſpectus *patheticus* & *moralis* eſt, ut adverſum, infenſum aut *inimicum* quoddam objectum poſſibili vi & *potentia*, ſtrenue, vigoroſe & celeriter profligetur & expellatur, motus in œconomia *vitali* non trepidi & torpidi, ſed *potentes* ſint, *pulſus* cordis *fortis*, celer, magnus, *progreſſus ſanguinis*, *calor naturalis*, reliquarum fibrarum *motus*

auctus, intensus & impetuosus sit, ut & varii conatus expulsorii, aut *excretorii* contingant: & sicut in iracundia animus *suo* impetu *extrorsum* ruit, ita motuum *vitalium* effectus *extrorsum* tendunt, *incalescentia* & colore *rubicundo* superficiei corporis, *oppletione* & larga translatione *sanguinis* in *peripheriam* transeunte ac *similibus* aliis effectibus: in *Terrore moralis* respectus occupatur circa repentinam *fugam*, abstractionem & subductionem ab objecto *inopinato* obruente & vel *actu*, vel *apparentur* pernicioso, cum subitaneo consilio se a tali objecto removendi & *occultandi*, sub momentanea destitutione & *jactura* consilii, periculo opponendi, quare in *vitali* processu confestim repressio humorum ad *interiora*, ac virium præcox *jactura*, instabilis, *tremulus* & titubans fibrarum motus, rigor, horror, pallor, frigus, oppressio & repentina *retentio* nonnullarum evacuationum, *lipothymia* &c. & similiter *conveniens* processus in *aliis* animi pathematibus succedit: exinde concludimus, si inter *alterationes patheticas* & *vitales* tam *exacta* intercedit *convenientia* etiam quoad *gradus*, destinationes & respectus *finales*, facile sequitur, quod *utrarumque una eademque* sit causa, & quod *anima suum corpus* non modo in *genere* movere, sed *variis* motuum *gradibus* afficere queat, adeo ut in *ordinaria* ejusdem actuatione & directione non *nova* & *obscura* causa, nullis luculentis & solidis argumentis demonstrabilis, supponi, excogitari & præferri debeat.

§. XIII.

Si itaque processus *vitalis alia* causa instruens & dirigens esse debet, quam hominis anima, mirum utique est, cur animi pathemata illum *turbare* possint & debeant; nam qui

con-

contra hanc dubitationem excipiunt, *Deum* hoc ita aut *constituisse*, aut *concessisse*, *nihil* probant; interim hæc sententia æque *captiosa*, ac *præjudiciosa* est, ac altera *parallela*, Deum etiam constituisse, ut anima sub *pathematibus* quidem suis *moralibus corpus alterare* queat; attamen in *ordinario vitæ* tramite & negotio illud *motibus congruis* afficere & dirigere *non* valeat: si quis contra *talem* interpretationem regerit, quod hæc adsertio tantum in *nuda thesi* consistat & *petitionem principii* oleat, tunc ulterius *defensio* theseos resonat, quasi *crassis* sensibus observemus, animam sub suis *patheticis* commotionibus eximias *alterationes* suo *corpori* conciliare, quale quid in *ordinario* vitæ & *sanitatis* processu annotare *haud* possumus; *inde* vero fluet *hæc argumentatio*, quicquid *crassis sensibus* & *effectibus* non comprehendimus in operationibus, *hominem* attinentibus, illud *veritati* consonum *non est*; atqui motus *vitales* & *naturales* ab *anima* provenire, *crassis* sensibus & effectibus non comprehendimus. E. in qua argumentatione facile, vel *leviter* in arte subsumendi, *connectendi* & *concludendi logica* versatus, regerere poterit, quod *veritatis genuinus*, perpetuus, *universalis*, absolutus & *essentialis* character non sit, comprehensio phænomeni aut effectus *crassis sensibus* ac *signis*: deinde quod de *anima* utpote *spiritu*, non *absolute* valeat adsertio, quasi in *omnibus* operationibus *crasse* procedere debeat, quæ contra, quia in *dignioribus* operationibus, videlicet *moralibus* & *subtiliter* & *crasse*, ideis *simplicibus* & *compositis* operosam se probere potest, ita tanto magis in *vilioribus* & indignioribus negotiis æque *subtiliter* & *crasse* operari potest; hinc plurimæ actiones subitaneæ ac vehementes,

 sensi-

ſenſualibus ac *craſſis* ſignis ſe magis produnt, quæ viciſſim *leniter* adminiſtratæ, in *modo* ſuo fiendi & ipſo proceſſu ſubtiliores & *inſenſibiliores* obſervantur, *teſtimonio ſudoris aquoſi* & *tranſpirationis inſenſibilis* &c. exinde liquet, quod anima *facultatem a Deo conceſſam* poſſideat *tranquillius* & *impetuoſius*, *fortius* & *moderatius*, *citius* & *tardius*, *ſubtilius* & *craſſius* movere; inde per *juſtam* connexionem valet, ſicut anima in *voluntariis* & *patheticis* motibus *fortioribus gradibus* & *craſſioribus* effectibus agilis eſt, ita in *ordinario* vitæ & ſanitatis proceſſu tranquillius, *ſubtilius* & *lenius* operatur: porro anima *craſſo* proceſſu *in-*& *externos* ſenſus perficere poteſt, viciſſim vero *ſubtiliter*, acute, argute, *profunde intime* res intelligit, invenit, dijudicat, perſpicit, guſtat, olfacit, audit; quis vero ita moroſus ac ſciolus eſſet, ut dijudicet, quaſi has operationes in *rudi* & *quadrato* ruſtico anima perficeret; cur? quia *craſſis* ſignis ſeſe produnt, in *Philoſopho* viciſſim, aut homine *delicato* & *ſenſibili* Deum *alium* ordinem conſtituiſſe, ut, quia in iisdem hi actus *ſubtilius* procedunt, ea propter non ab eorum *anima*, ſed ab ipſa *inſtrumentorum* materialium *machina*, ſive *conformatione*, configuratione & *ſtructura*, *phyſico-mechanica* diſpoſitione prædita, proveniant & dependeant: *alio exemplo* iterum hæc meditatio illuſtrari & confirmari poteſt; ſi ſanguis *temperata fluiditate* gaudet, moderata ac *leni* actione fibrarum *ſtrictoria* in ſuo progreſſu ſervatur, ſi vero conſiſtentia ejus *ſpiſſior* fuerit, tunc *augetur ille* motus, adeoque *craſſioribus* ſignis & effectibus obſervatur; *auctiorem* hujus motus, ita dicti, *tonici* gradum adminiſtrat *anima rationalis*, in actione corporis *voluntaria* &

ſub

ſub *pathematibus moralibus*; quidni eadem poterit *leniorem*, *ſubtiliorem* & *mitiorem* gradum *ejusdem* motus in proceſſu *vitæ* ac *ſanitatis* efficere & producere? nam qui poteſt *magis*, poteſt etiam *minus*, quodſi itaque *diſtincta* horum reſpectuum obſervatio & conciliatio inſtituatur, nec ex *craſſis* phænomenis tantum dijudicatio conficiatur, facile *veritas* adſerti mentem noſtram illuminabit & confirmabit, ſiquidem anima, utpote ſpiritus, ſive *immaterialis* ſubſtantia, non cum *prædicatis* & *qualitatibus corporearum* rerum confundi debet; *prædicata* enim ſuis *ſubjectis conformia* eſſe debent: & hic *eximius* eſt *error* illorum, qui ex *motu corporis*, in *corpus* & illico occurrentibus ſignis, phænomenis & effectibus, ad motum *animæ* in *corpus* frivole concludere ſolent: id quod etiam ad præſentem conſiderationem applicari debet.

§. XIV.

Illis argumentis, quæ aſſertum noſtrum, quod *anima* rationalis *natura* humana exiſtat, confirmant, annumeramus notatu dignam illam connexionem *gradus* in *moralibus* & *vitalibus* actionibus obvii; quæ obſervatio in disquiſitione *Temperamentorum* ſive *proportionis* motus *fluidorum* & *ſolidorum* in proceſſu vitæ, & proportionis motuum *moralium* ad ſua objecta obtingit: quodſi enim motus, ad œconomiam *vitalem* ſpectantes, in uno individuo *fortiores*, vehementiores, *celeriores*, *agiliores* & *operoſiores* fuerint, tunc in talibus ſubjectis *mores*, imo quælibet ſenſationes *in* & *externæ*, *ſimilibus* præditæ ſunt qualitatibus: & viciſſim, ſi in ſubjecto aliquo motus *vitales* fuerint, *debiliores*, *ſegniores*, tardiores, &c. ipſe *animus* in *omnibus* ſuis *moralibus* actionibus ſimili *gradu* qualificatus deprehenditur;

idem

idem non modo in hominibus de *Cholerico* & ***Phlegmatico*** participantibus sed & in *reliquis simplicibus* æque ac *mixtis* deprehenditur temperamentis: inde juste judicamus, quod, quia inter *utrosque* actus tam *exacta* obtingit *convenientia*, ita utrorumque unum idemque existat *principium activum*; deinde quia in utrisque operationibus *rationalis* occurrit *modificatio* & *proportionis* institutio ac determinatio, ita utrarumque *principium activum* non est *materiale*, sed *rationale*, quale in homine *non aliud*, quam *ipsa anima* hominis, existit. contra hanc demonstrationem *excipi*, objici & regeri posset, quod hunc *nexum ordinis* & *gradus*, inter prædictos motus intercedentem, non anima, sed *corporis physica* constitutio disponeret: ast hæc interpretatio eminenter vitiosa & *erronea* est, siquidem pro *dignitate* animæ & moderatione morali militat, si *convenientiam* motuum moralium & vitalium causæ *principaliori* tribuimus, nec *nude passivæ*, prout corpus est, adscribimus: deinde juxta illam oblocutionem asserere deberemus, quod potentia qualitatum *physicarum* & *materialium* superet facultates *spirituales*, quod adsertum omni *sobriæ philosophiæ*, *pnevmatosophiæ*, imo *Sacro Codici* repugnaret; siquidem vires & virtutes causarum *spiritualium* multis modis *sic dictas* vires materiarum antecellunt, ergo corporis machina cum *sua œconomia* vitali, sua potentia *sibi non potest* conformare operationes *animæ*; nam actio *corporis in animam est nulla*, quia corpus in prædicamento passionis, *sibi relictum*, stat, ergo nullo adminiculo *intermedio in animam* operari potest, quod tamen *factu necesse* esset, si *processus vitæ nude physicus* suppositus sibi assimilaret & conformaret motuum *moralium* dispositiones & progressus: actio vicissim animæ *in corpus* est

eſt manifeſta & *realis* & *rationalis*, quia *anima* poteſt *per ſe movere*; *corpus non poteſt* per ſe movere; interim hoc corpus *motu indiget*; præterea etiam *ingenuæ rationi* repugnat, quod motus, ad *corporis œconomiam* pertinentes, poſſint active & *efficienter* animæ motus & operationes *mutare*, reformare & diſponere, quia iterum quodlibet *corpus*, *perfectiſſimis* qualitatibus inſtructum, *nullo* medio animam *efficienter* afficere poteſt, ni ſupponendum & demonſtrandum eſſet, quod corpus *ſua ſola virtute* movere, quod porro *hoſce* motus *rationali* dictamine *in* & *ad* animam derivare & dirigere, quod inſuper *firmiori* potentia *animæ* vires *ſubjugare* & *ſuperare*, poſſet: Sed quis tam palmarias ac *ſonticas* facultates citra craſſum *præjudicium corpori* tribuere, adeoque cauſam *ſpiritualem*, contra omnem ordinem, qualitatibus *materialibus* ſubjugare & ſubjicere mallet! & enim licet per *lapſum* eadem anima *perfectionem* ſuam perdiderit, propterea tamen nulla ratione nullove argumento demonſtrari poteſt, *quod* Deus *animam corpori* ſubdiderit, adeoque ſubjectum quoddam, videlicet *corpus*, quod æque per lapſum *perfectionem* ſuam perdidit, *animæ* utpote *ſpiritui*, in *eſſentia haud* mutato & vires, *eſſentialiter* ſpiritui competentes, adhuc *poſſidenti*, *præpollente* virtute ac charactere deſignaverit; quippe qui & adhuc varii, reſpectus *repugnant*, quo minus *ſobria* ratione aſſerere queamus, quaſi *motus corporis* inverterent, in *ſuum ordinem* ac *gradum* ducerent & *activa* qualitate immutarent motus *morales*: quo *dignius* itaque ſubjectum eſt *anima* præ *corpore*, quo *dignius* eſt prædicatum & *officium moralita-*

ralitatis præ *phyſicis* corporis attributis, eo *dignior* eſt concluſio & dijudicatio, ſicut alias *a potiori* denominatio formari debet; hinc *animæ* relinquendum eſt *dominium* & directorium in *morales* & *vitales* operationes; quippe qui nervus præſentis demonſtrationis eſt.

§. XV.

Militat porro pro noſtra adſertione, quod *rationalis anima natura humana*, adeoque principium *vitæ* & *ſanitatis* exiſtat, eximiæ *dignitatis* argumentum & *quotidiana* ferme obſervatio, quod *intenſiores* certorum *morum* exercitationes *evidentem* & non raro *præſentaneam* efficaciam in *diverſas* functiones, *vitam* & *ſanitatem* attinentes, exſerant; hanc meditationem quadantenus illuſtrant & confirmant *diſpp. Dn. D. Præſidis de Senſuum internorum uſu in œconomia vitali, de Morum & Morborum conſenſu, de Medicinæ & doctrinæ moralis nexu*, & *de Therapia morali;* quam *moderatus* aut *immorigerus* quidam in *ordinariis* ſuis *moralibus* operationibus eſt, *ſimili* gradu in eodem *vitales* functiones qualificatæ ſunt: *operoſior* applicatio animæ ad negotia *intellectus*, ingenii, memoriæ, *judicii*, efficit, ut functiones *vitales debilius* procedant: quo *plus virium* anima ad labores *mentis* impendit, eo *minores* vires ad œconomiam *vitalem* applicantur: ætas *tenerior* vel *ſponte* propenſior & ardentior ad operationes *mentis*, vel per *inſtitutionem* aliquando moroſam, *rigoroſam* & coactam easdem *intenſius* exercens, aut raro *longinquius* vita & ſanitate fruitur, aut magna *imbecillitate corporis*, *adverſa* valetudine, impedita & turbu-

turbulenta *nutritione*, variisque *offensis* in processu vitæ laborat; hinc observatio omnibus ferme nota est, quod infantes *præmatura* sapientia & mentis ἀκριβείᾳ ac fervore instructi, *brevi* moriantur; ob id in pædagogia *prudentiori* consultum est, quo ingenia, alias operosa, præcipitia & *agilia* non valde *incitentur*, *urgeantur* & delassentur, neve alia *teneriora* & *sensibiliora* nimium cogantur, alias non modo *vires animi*, sed & ipsa œconomia *vitæ* valde offenduntur: si itaque *anima* functiones *vitales* non administraret, tunc prædicti effectus *minus* evenirent; quid enim *animæ commercii* intercederet cum *corpore*, quando hoc in processu, ejus *conservationem* concernente, ab *alia* causa actuaretur & dirigeretur: quo *magis* etiam homines adultiores *vires animæ* suæ ad operationes *mentis* applicant, eo magis *vires*, ad *corporis* œconomiam pertinentes, *hebetantur*; inde redditur *concoctio* difficilis, negotium *se-*& *excretionis* impeditius, *minusve* sufficiens, *progressus sanguinis tardior* ac laboriosior, *sanguificatio* magis *irregularis*, *nutritio* languidior, hinc oritur varia *intemperies* humorum, multiplex horum *stagnatio* aliaque *vitæ* & *sanitatis* offensio: contra vero contingit, ut homines non *multum mentis operosis* negotiis inhærentes, nec *ardua* negotia rationis suscipientes, sed sub reliqua *tranquillitate* & otiis, in officiis *moralibus* adhibitis, *ventri* aut *corpori* magis servientes & indulgentes, *duriorem*, firmiorem & constantiorem vitam ac sanitatem possideant, testimonio gentis aut plene, aut semibarbaræ, quam, si non alia valde *ominosa naturalium* causarum *intemperies*, aut *violentiæ* turbaverint & læse-

 rint,

rint, *longinquius* ſuam vitam illa protraheret: quippe quæ cauſæ in reſolutione *problematis*, cur quidam homines *diſtincte infrequentius*, ægrotent, aut cur aliqui *facilius morbis* & *morti* ſubjiciantur, advertendæ & conferendæ ſunt: huc pertinet meditatio & obſervatio, quod homines *profunde*, intime, *intricate*, *operoſe* & *exceſſive* mentalibus & *moralibus* officiis occupati, *præmatura* quaſi extinguantur morte, citius *defectum* virium in *vitæ* & *ſanitatis* proceſſu experiantur, inſuperque probe cauſam *accelerantis* enervationis & *ſenectutis torpeſcentis* agnoſcant, ſie hätten viel Kopff-Arbeit gehabt, ſie wären sehr früh und ſtreng zu ſtudiis gehalten worden ꝛc. inde etiam eſt, cur tales *mente valde*, nimiumque ſtudioſi & *operoſi* homines, ſi in *morbum* quempiam incidunt, aut *tardius*, aut *difficilius* ab eodem liberentur; eapropter illi, qui ridiculo Zelo *naturæ officia* ſummo proſequuntur odio & magnam Dianam *corporearum* qualitatum adorant & venerantur, *ſerioſe* diſſuadent, ne poſt *ciborum ingeſtionem*, profundæ meditationes ſuſcipiantur, ne forte *fabuloſus* & lepidus ille *Spirituum* influxus impediatur! ſed unde? ſane non aliunde, quam ab *eadem anima*, *mentalibus* ſuis operationibus valde *negotioſa*; quæ ipſa *tergiverſatio*, hæſitatio & ratiocinatio per *ambages* ac *imaginaria* ſuppoſita, tandem ſub *primo impulſu* & *ultimo directorio*, *animæ protectorium* ſuum quærit: exinde vero liquet, quanta ſit *conſenſio* inter *morales* & *vitales* actiones, *quotidianis veriſſimis* phænomenis evidens, quibus ſatis manifeſte probatur, quod *anima rationalis* de ſingulis prædictis functionibus, ad vitam

tam

tam & ſanitatem ſpectantibus, *præſidium* adeoque *jure meritoque* officium Naturæ humanæ teneat; hinc inclareſcit, quod ſi *uni* actui, ſive *moralis* ſive *vitalis* fuerit, ipſa *plus* incumbat, alter *non æquali* utplurimum gradu & tenore exerceatur; *qualis ratio* & *relatio* in *aliis* actionibus humanis, ab *eadem anima* adminiſtrari ſolitis, occurrit, ut exinde *firmitatem* ac *certitudinem* concluſionis ducamus, quod videlicet utriusque & *moralis* & *vitalis* operationis *una eademque* ſit cauſa; quæ adſertio non modo præſenti, ſed & præmiſſis & adhuc aliis multis rationibus & obſervationibus confirmari poteſt.

§. XVI.

Quanta porro vis *imaginationis* ſit, in motus, ad *vitam* & *ſanitatem* ſpectantes, *augendos*, *minuendos*, *invertendos* & *emendandos*, innumera teſtantur exempla, adeo ut ad *imitationem* eadem imaginationis efficacia in foro *therapevtico* ad reſtituendam ac confirmandam ſanitatem uſurpetur; cujus obſervationis *Dn. D. Præſes* uberiorem fecit mentionem *in diſpp. de Phantaſiæ uſu, luſu & abuſu in Medicina, de Valetudinariis imaginariis, de therapia imaginaria;* & hujus imaginationis *magna* utique *vis* eſt, qua *ſinguli* motus ad œconomiam *vitalem* pertinentes mutari poſſunt & ſolent; quid quod interdum mediante *imaginatione* tales in *corpore* producuntur effectus, quales *nulla* cauſa phyſica *materialis*, aut qualitercunque *artificioſa*, elicere poteſt; hinc quidam medici tales effectus, *archealibus*, *mumialibus*, aut *magneticis*, aut plane naturaliter *magicis* potentiis adſcribere ſolent: ſicut ve-

ro actus *imaginationis* non est *liberi* respectus, i. e. ex se dependens, aut *independens*, sed a nulla alia causa, quam *anima rationali* provenit, ita hæc anima juxta *imaginationis* suæ normam, quam ipsam & format & imitatur, tales mirabiles aliquando effectus in *toto suo corpore* & quidem nec sibi de ipso actu *conscia*, nec *volens*, producit; & si illa anima *extraordinarie* in processu vitali *peculiares* & singulares operationes administrare potest, quidni in *ordinario vitæ* statu tale quid perficere queat, sicut nulla solida ratio constat, quod animæ tantum in *extraordinario* casu concessum sit, in *salutem* sui corporis, instigante, ministrante & interveniente imaginatione certos effectus *in* & *cum* suo *corpore* prodere & producere; ob id etiam in *interpretatione* & explicatione talium *singularium* effectuum, illi, qui alias causas ex *materialibus* potentiis ac qualitatibus proferre & applicare solent, patrocinium & protectorium sub tali vi imaginationis quærunt, ac necessitate coacti, cum aliam rationem allegare nesciunt, ni risum movere malint, ad animam convolant, eique tunc demum, *obtorto* licet collo, vim & jus mutandi motus in corpore citra actum *cogitationis* aut rationis *reflexivum*, vel præfigurationem *&* repræsentativam conscientiam, ut & citra arbitrium & *voluntariam* destinationem & deliberationem, tribuunt & adscribunt: & quo magis effectus illi, *imaginationis* interventu producti, ratione *singularis inventionis*, *exactissimæ directionis* & *exquisitæ executionis*, *ordinarios* actus & processus superant, ita eo magis a *majori* ad *minus* concludentes, tueri & defendere possumus, quod in tacito, placido &

ordi-

ordinario ſtatu & tramite illa anima *conſuetas* actiones *vitales* adminiſtret; odioſum & factioſum enim prodit præjudicium, *ſi non aliter* animæ poteſtatem & activitatem in œconomiam vitalem admittere & agnoſcere velimus, quam ſi noſtræ explicationes vacillant, titubant, delinquunt & nobis ipſis *ridiculæ* & *erroneæ* comparent; facile itaque talem moroſitatem & repugnantiam ſuſpectam reddit, ſi in judicando talem ac tantam fugacitatem, nugacitatem & levitatem animi proderemus: & ſi vis *imaginationis* efficax eſt in *formatione*, *reformatione* & *deformatione* corporis, cur non *ejus principium*, videlicet anima, in *reliqua* corporis adminiſtratione *activum* eſſe queat ſoleatque? interea ipſa imaginatio, utpote actus *rationis*, *tales* effectus, in *corpore* obtingentes, proxime & *immediate* perficere haud poteſt, ſed cauſa imaginationis principalis *efficiens*, ſine interventu *cauſæ matetialis*, ope & miniſterio *illorum* motuum, qui cum corpore *convenire* & congredi poſſunt & ſolent, *immediate* & proxime, eosdem effectus producit: hinc inutiles *ambages* & *fictitias intermedias* cauſas vitantes, proxime ab *illo principio* hoſce effectus deducimus & demonſtramus, a quo nihilominus in alia *imaginaria* cauſarum connexione totum talem proceſſum derivare deberemus: v. g. ſi adſereremus animam hoſce effectus, imaginationis actu operoſam, mediante famoſo illo ſubtili fluido æthereo nerveo præſtare; quæ demonſtratio reſpectus non modo *fictitios* inſereret, ſed & per inutiles *ambages entia præter neceſſitatem accumularet*, ut alias difficultates non moveamus: imo uti imaginatio in nego-

negotio *generationis*, *morborumque* ſpontaneæ *ſanationis* &c. diſtincte *efficax* & operoſa eſt, ita eadem non minus per *totum reliquum* vitæ proceſſum agilis & *negotioſa* eſſe obſervatur; Et hæc demonſtratio, præcedentes non modo *numero adauget*, ſed & valore *confirmat*, noſtramque ſententiam roborat.

§. XVII.

Quodſi porro Rationalis Anima in *principalioribus* ſuis *intellectualibus* & *moralibus* negotiis *vigoroſa*, vegeta, alacris, moderata & ordinata fuerit, tunc utplurimum *ſimilibus* qualitatibus œconomia vitalis prædita obſervatur: quodſi illa quoad *morales* operationes, *confuſa*, perverſa, turbulenta, *inſenſibilis*, furibunda & impetuoſa, per cauſas præcipue *morales* evadat, tunc *parili* qualitate motus & functiones, ad *vitæ* & *ſanitatis* proceſſum pertinentes, inſtruuntur: ſi per ætatem, aut prægreſſos *arduos*, intricatos, multos & difficiles actus *mentales*, anima *torpeſcat*, tunc æque totum negotium *vitale langueſcit*, quæ principalis cauſſa eſt, cur appropinquante, inſtante, aut præſente ſenectute, vires *naturales deficiant*, corporis firmitas *minuatur*, *fibræ exareſcant* & *obrigeſcant*, totum corpus *marceſcat*, *vigor* univerſus naturalis pedetentim *expiret*, indeque *præparatio* ad mortem naturalem obtingat, ut huc merito referamus verba *Illuſtr. Dn. D. Stahlii* ex ultimo & nuper edito ejus ſcripto, cui titulus *de motus hæmorrhoidalis & fluxus Hæmorrhoidum diverſitate* in *Præmonitione generali p. 14. quamvis enim ante oculos poſitum ſit, quod per ſeni-*

senium tam corporis structura, veluti marcescat; quam ipsius naturæ alacritas quasi lassari sentiatur; quin ipsius animi vigor sensim languescere videatur. Non potest tamen horum eventuum, quamtumcunque veri sint, vera aliqua & perspicua positiva ratio demonstrari, cur inquam non eadem vis, idem vigor, eadem alacritas, quæ usque ad consistentem ætatem legitime augescere sentitur, non in illo, veluti completo statu, usque in tardam senectutem, imo in perpetuum continuetur: unde nihil remanet, nisi necessitas agnoscendi, quod finito agenti, etiam fines seu termini activitatis suæ præfiniti sint, quibus circumscribatur: quodsi præterea anima repente in *extremam* perturbationem ac confusionem *moralem* devenerit, subito etiam œconomia vitalis in *similem* extremam perversionem ac exorbitantiam, cum insequente *subitanea morte* ruit; testimonio *mortis ex gaudio, metu, mœrore:* quodsi eadem anima *momentanee* in suis *moralibus* actionibus delinquat, *confestim* etiam motus, ad *vitam* & *sanitatem* spectantes, delinquunt, testimonio affectuum *syncopticorum* & lipothymicorum, quare *Garmannus in mirac. mort. Lib. 2. tit. 7. §. 125.* dicit: *præsentia animæ, animat, sive vitam conciliat, absentia mortem: Isidorus Lib. 3. cap. 252. Corpus præsente anima vivit: & recedente anima corpus mortuum manet.* Porro consideratu digna hæc etiam est observatio, quod interdum *anima* de sui *corporis* statu peculiares reflexiones *imaginativas*, sibi tamen *nec* de hoc actu *conscia*, nec *voluntario* eundem instituat, quando vel de *ubertate* aut *motu*, aut *difficili* progressu & *stagnatione*, aut *alia* qualitate, aut co-

H natu

natu *excretorio* certorum *humorum nocturnas* phantasias & *insomnia*, cum prædictis respectibus exacte *cohærentia*, format, id quod multis testimoniis & *veteres* & attenti ac a præjudiciis liberi *recentiores* medici confirmant; ubi juxta superius allegatas & prolatas nostras meditationes ac demonstrationes *erroneum* adsertum esset, si rationales respectus ac ordines confundere & *invertere*, adeoque judicare velimus, quasi *materialis* dispositio, constitutio & qualitas corporis tales *phantasias* efficienter *animæ obtrudat*, aut extorqueat, quæ sane lepida esset philosophia, quoniam jus & actio *immediata* corporis in animam prius condigne & prudenter *demonstrari* debet; haud enim æquipollens aut *reciproca* valet conclusio, *sicut anima in corpus*, ita *corpus in animam* jus activitatis, aut influxus *moventis* habet: Præterea singularem annotationem & disquisitionem meretur observatio *præsagiorum* naturalium, quæ anima multoties de *corporis* & *vitæ* ac *sanitatis* statu format, videlicet de ingruente *morte*, quando adhuc homo *nihil morbosi* sentit, de appropinquante *morte*, quando homo adhuc *sanus* est, de impetranda *sanitate*, quando homo in summo *vitæ periculo* sub morbo quodam fluctuat, de *certò* eveniente morte ac *die* mortis, quando æger adhuc in *tolerabiliori* sui morbi statu versatur &c. *vid. Dn. D. Præsidis disp. de Vaticiniis ægrotorum:* quæ singula contingere haud possent, si anima in *ordinario* & *extraordinario* statu œconomiæ *vitalis* Præsidium ac Directorium minus gereret: sed in ultimis hisce momentis paulo magis *brevitati* operam

dedi-

dedimus, ac pariter in præcedentibus *ſuccinctam* propoſitionem adhibuimus, ne tota deductio ultra conſuetos limites progrediatur: interim *nonnullis argumentis* thema noſtrum probavimus, confirmavimus & *demonſtravimus:* adduximus *rationes* in *realitate* exiſtentes, non in *figmento* & ſpeculatione conſiſtentes, inſuper *tales* quæ proxime & *genuine* ad *hominem* pertinent, nec *confuſo* modo corraſæ: ex *illis fundamentis* a nobis prolatis facile exercitatæ mentes (quæ non philavtia occæcatæ *lucem* pro *tenebris* malevole denigrant) *ſpecialiſſimam* applicationem formare poterunt: *multis* adhuc rationibus noſtra adſertio probari poteſt; aſt qui *præſentibus* non attentum præbet animum, eadem *moroſa* repugnantia plures alias advertet: capiat itaque propoſitionem noſtram, qui vult & qui poteſt, nemini illam obtrudimus: prudentis vero animi character eſt, omnia attente & *judicioſe* ſcrutari, nec ſciole ac ludicre ſpernere; acquieſcimus ea propter in hac *ſuccincta* præſentis thematis explicatione: DEUM rogantes, ut veritati huic ſua benedictione porro adſiſtat, efficiatque, quo a pluribus, uti hactenus a multis factum, agnoſcatur, & in gloriam nominis divini proximique ſalubritatem applicetur, quippe qui etiam præſentis laboris noſtri ſincerus eſt

F I N I S.

